



Universitätsbibliothek Paderborn

**Trismegistus Doctrinæ Christianæ Tertio Continuatus,
Seu Brevis Expositio Sciendorum De Ultima Voluntate
Hominis Christiani In Spiritualibus, Atque Temporalibus,
Methodo Morali-Theologica concinnata, ...**

Mayr, Cherubinus

Salisburgi, [ca. 1735]

Distinctio Prima. De Ultima Voluntate Hominis Christiani In Spiritualibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42295



DISTINCTIO PRIMA.

ULTIMA VOLUNTATE HOMINIS CHRISTIANI IN SPIRITALIBUS.

Quemadmodum in principio, totōque decursu rationalis vitæ prima semper cura homini Christiano habenda est de Spiritualibus, & præsertim fine suo ultimo, mediisque ad eum consequendum præordinatis, juxta illud Matth. 6. *Querite primum Regnum DEI, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis:* ita vel maximè appropinquante, vel memoriae occurrente illius vitæ termino, primum de Spiritualibus, & postinde solum de temporalibus, cui talia possidere datum est, curare oportet; tantò sollicitius de illis, quam de istis; quod de istis solum relinquentis, de illis autem vel acquirendis, vel

A

re-

recuperandis, vel perpetuò retinendis, vel
denique in æternum possidendis negotium
agatur sumè momentosum. Et ideo etiam
*Trismegistus noster tertio continuatus primò de
ultima voluntate Hominis in Spiritualibus, postea
de eadem in temporalibus Doctrinam proponet
Christianam, hinc ex Theologicis, inde ex
Juridicis principiis pro materiarum exigē-
tia emendicatam. Et quia primum in in-
tentione *Finis*, ab eo faciemus principium.*

CAPUT I.

De ultima Voluntate Homi- nis Christiani respectu sui Finis ultimi.

§. I.

Expositio Doctrinæ Christianæ.

Punctum I. *Quid hic nomine Voluntatis in-
telligatur?*

RESOLUTIO I. Hoc nomen *Voluntas* ne-
dum Philosophis; sed etiam in Scriptu-
ris, & apud Theologos, & Jure-Consultos
est analogum. I. Etenim accipitur pro po-
tentia seu facultate rationalis animæ, quā
bonum expetimus, malum aversamur. De
hac intelligendus est Apostolus 1. Cor. 7. di-
cens:

De ultima Voluntate Hominis Christiani &c. 3

cens: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis; & consequenter Theologi, dum eam liberam ad agendum, & non agendum affirmant.* II. Sumitur pro habitu, seu promptitudine ad faciendum aliquid; de qua idem 2. Cor. 8. ibi: *Nunc verò & factō perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis.* Hanc denotant Theologi, *Devotionem*, quod sit prompta voluntas perficiendi ea, quae ad DEI cultum, & servitium pertinent, describendō: *Et Juristæ, dum iustitiam, quod sit prompta voluntas jus suum cuique tribuendi, cum Ulpiano l. 10. ff. de Just. & Jur.* definiunt. III. Accipitur pro actu voluntatis; & hæc acceptio est præsentis considerationis: Unde

RESOL. II. Nomine *Voluntatis* hic intelligitur actus potentiae rationalis appetitivæ, seu voluntatis, ut potentia est. Et hoc conformiter Scripturæ, præsertim ubi loquitur de voluntate DEI, veluti Gen. 45. *DEI voluntate hic missus sum, id est, volitione DEI:* imò etiam, ubi de voluntate hominum, veluti inter alia 2. Machab. 11. *Finitate rescribere, ut nos quoque sciamus, cuius estis voluntatis, hoc est, volitionis.* Conformiter etiam Theologiaz, in qua voluntas finis à voluntate mediorum distinguitur, quæ

A 2

di.

4

Distinctio I. Caput I. §. I.

distinctio potissimum inter actus voluntatis reperitur. Ac tandem conformiter Utrique Juri, Canonico, cuius integer titulus, de Testamentis, & ultimis voluntatibus inscriptus, & Civili, in quo definitio Testamenti, ab Ulpiano l. i. ff. qui test. fac. posse. data voluntatem, prout actus est, indigitant.

Punctum II. Qualiter hic intelligatur ultima Voluntas?

3 RESOL. I. Certè non in eo sensu intelligenda est *voluntas ultima*, quod sit ultimus numerò actus voluntatis, dum homo Viator est; quis enim de eo divinare poterit, cum sit incertus quoad omnes? vel quis legem præscribere, cum, cuiusnam objecti ultima numerò sit volitio, nè quidem sit in nostra potestate, sed dependeat à postrema propositione objecti per nostrum intellectum, qui est potentia naturalis, & necessaria? Unde licet quilibet Christianus optare deberet, vitam hanc mortalem finire posse per aliquem actum amoris in DEUM, quod tamen sic fiat, non est hominis volentis, sed DEI miserentis. Igitur

4

RESOL. II. Neque hæc dictio *ultima voluntas* ita accipienda est, ut ostendat voluntatem absolutè firmam, immutabilem, & irrevocabilem; nam nulla talis reperiatur, quamdiu in hac vita peregrinamur.

Do-



Domino, sed omnis voluntas nostra instabilis est, & mutabilis; unde l. 32. §. 3. ff. de donat. inter vir. & ux. & l. 4. ff. de adim. vel transfer. legat. dicitur ambulatoria usque ad vitæ supremum exitum; quod epitheton emphaticè ejus instabilitatem significat: nam sicut deambulans continuò mutatur de loco in locum, ità voluntas hominis continuò mutatur de volito in volitum, & quod hodie placet, cras ei displiceret, sicque nunquam in eodem statu permanet. Job. 14. Evidem sci mus, quod sententiam illam Ulpianus, ex quo sumpta est, de sola voluntate testatoris intellectam voluerit; verumtamen si sacras litteras, ipsamque experientiam consulamus, de omni voluntate viatorum potest enuntiari. Quomodo ergò voluntas hominis intelligitur ultima?

RESOL. III. Si de Spiritualibus loquamur, ea profectò *ultima voluntas* dicenda est, quæ respicit *finem ultimum*, ultimatè à nobis intentum, vel saltèm intendendum, & per media ultima, seu proxima assequendum. Habet se enim proportionaliter volitio finis ad ipsum finem, sicuti dispositio ad formam, quæ & ipsa est finis dispositionum: ergò sicut ultima dispositio illa dicitur, quæ disponit ad formam ultimam; ità voluntas ultima debet dici illa, quæ respicit finem ultimum: hoc solo cum discrimine, quod

A 3 di-

dispositio ultima in naturalibus semper existat simul tempore cum forma ultima; at voluntas ultima in moralibus, cum simul sic causa applicationis mediorum, tractum quendam temporis exigentium, ordinariè prius tempore, quam fiat assecutio finis, existat.

RESOL. IV. Si sermocinemur de temporalibus, alia est ratio, cur dicatur *ultima voluntas*; quia nempe ad *ultimum vitæ*, quod est primum mortis, refertur. Etenim cum omnes aliæ voluntates (quæ *dispositiones inter vivos* sunt, & appellantur) firmitatem suam, per se loquendo, adhuc durante hominis vita habeant, vel accipient: solum illæ, quæ *mortis causâ* fieri dicuntur, non nisi morte actualiter secuta vim, robur, & effectum obtinent, & sic meritò *ultimæ voluntates* efferruntur. Nec ab hac voluntatum ultimarum differentia excepti, vel exfortes sunt illi actus inter vivos, seu contractus, aut stipulationes, quos interdum ad tempus mortis unius ex contrahentibus conferri contingit, arg. §. 13. Inst. de inutil. stipul. nam & isti, ut in fine ejusd. §. adjicitur, statim valent, & ex præsenti vires accipiunt; secùs quam ultimæ voluntates, quæ ante obitum disponentis omni effectu, & valore carent, vel ipso suffragante Apostolo, dum ad Heb. 9. ait: *Testamentum in mortuis confirmatum est;*

De ultima Voluntate Hominis Christiani &c. 7

est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Verum hæc de temporalibus fusiūs in Dist. seq. examinabimus; in hac solis spiritualibus animum attendemus.

Punctum III. Quid, & quotuplex sit Finis ultimus? Et quasnam habeat conditiones?

RESOL. I. *Finis in genere juxta Aristotelem 2. Phys. 19. & 31. est id, cuius gratia aliquid fit; habetque multifariam divisionem apud Philosophos.* Nam I. Dividitur in finem *cui*, & *cujus*, ex 2. de An. 37. *Finis cuius* est, propter quem consequendum voluntas operatur: *finis cui* verò illud subiectum, in *cujus* commodum voluntas operatur; uti cùm ægrotus propter sanitatem consequendam sumit potionem medicas, æger ipse est *finis cui*, sanitas verò *finis cuius*. Ubi notat Scotus 2. dist. 6. q. 2. §. *In ista quæstione*, quòd voluntas *finis cuius* sit velle concupiscentiæ, quia est velle bonum in gratiam alicujus; sed voluntas *finis cui* sit velle amicitiæ; quia est amor boni propter se: siue *finis cui* sit principalior, habetque primam rationem objecti voliti. II. Dividitur in finem *qua*, & *qui*, sive in *formalem* & *objectivum*. *Finis quo* & *formalis* est *operatio*, quâ finem *qui* consequimur; *finis qui* & *objectivus* est ille, quem mediante operatione consequimur; inde ortum duxit illa divisio beatitudinis *in formalem*, & *objectivam*. III. Dividitur in

finem operis, & operantis. Ille est, in quem res vel operatio ex se ordinatur, uti sublevatio pauperis est finis dationis eleemosynæ: Iste verò, in quem ordinatur ex libera voluntate operantis, uti esset vana gloria, si propter eam fieret largitio eleemosynæ. IV. Dividitur in *ultimum*, & non *ultimum*, seu *intermedium*; & hic quidem appetitur ratione sui, cum dependentia tamen, & subordinatione ad finem ulteriorem, veluti si equitatio propter delectationem, quæ exinde percipitur, assumpta, ulterius ab aliquo ordinetur ad visitandam Imaginem miraculosam: unde hæc divisio solum concernit finem operantis, qui solus hujus loci est, non verò finem operis, qui toties variatur, quoties ipsa operatio. Finis ultimus est, qui ita appetitur propter se, ut non ordinetur ad aliud ulteriorem, sed omnia ad ipsum referantur. Et de hoc

RESOL. II. Finis ultimus duplex est; *ultimus simpliciter*, & *ultimus secundum quid*. Finis ultimus simpliciter dicitur ille: qui absolutè, & in omni rerum ordine est ultimus, ita, ut ad ipsum omnia referantur, ipse verò non sit ordinabilis ad aliud. Finis ultimus secundum quid est ille, qui in certa rerum serie, & subordinatione est ultimus, sic ut defacto in aliud non referatur, quamvis in se ordinabilis sit. Differt à fine in-

De ultima Voluntate Hominis Christiani Sc. 9

intermedio, quod hic etiam de facto ad finem ulteriore ordinetur. Nec de hoc quidquam in praesenti, sed de solo fine simpliciter ultimo.

RESOL. III. Finis simpliciter ultimus 9
adhuc triplex distinguitur à Scoto i. dist. 1.
q. 1. §. de tertio articulo. Finis verus, qui scilicet est finis ultimus ex natura rei: Finis apparens, qui ostenditur à ratione errante tanquam ultimus finis; & Finis præstitutus, quem voluntas ex libertate sua sibi præfigit tanquam ultimum finem. De primis duobus membris res patet ex Ariol. 2.
Phys. 31. quia si objectum fruibile verè in se habeat rationem omnis boni, est Finis ultimus verus; si autem verè in se non habeat, sed solum in se habere falso existimat, prout de voluptatibus, & aliis quibusdam censuerunt nonnulli Philosophi, est Finis ultimus apparens. De tertio membro probat Scotus cit. *Quia sicut in potestate voluntatis est velle & non velle: ita in potestate ejus est modus volendi, scilicet referre, & non referre; quia in potestate cuiuscunque agentis est agere, & modus agendi: Ergo in potestate sua est aliquid bonum velle propter se, non referendo ad aliud bonum, & ita sibi præstiuendo finem.* Ponamus exemplum: Avarus cognoscit pro certo, quod pecuniae non sint finis ejus ultimus; quia cognoscit, quod in pecuniis nec verè,

A 5

nec

nec apparenter sit ratio omnis boni: & tam
enam ex inordinato amore constituit ibi
suum ultimum finem; iste est finis præ-
fixus, sive præstitutus à voluntate. Ex his
consecutaneè

10 RESOL. IV. Conditiones Finis ultimi
ut sic sunt sequentes. I. Ut sit bonum ali-
quod, verum, vel apparens, aut saltèm præ-
fixum; siquidem bonitas est de ratione
constitutiva finis in genere: Ergò etiam,
& quidem principaliter, est de ratione finis
ultimi. Ant. prob. tam ex illo D. Diony-
si: *Nemo aspiciens ad malum operatur.* Tum
ex Aristotele cit. ubi ait bonum & finem in-
ter se converti. Tum demum ex ratione;
quia sicut se habet intellectus ad verum &
falsum quoad assensum, & dissensum, ità
voluntas ad bonum & malum quo ad velle
& nolle: Ergò sicut falsum ut falsum ne-
quit esse objectum assensū, ità malum ut
malum nequit esse objectum volitionis.
II. Finis simpliciter ultimus debet esse bo-
num, non qualemque, sed summum bo-
num, aut verè, aut apparenter, aut ex præ-
fixione voluntatis. Ratio patens est: quia
finis simpliciter ultimus debet esse talis, ut
omnia ad ipsum referantur, ipse verò irre-
feribilis sit ad aliud; sed nisi /c summum
bonum, jam non est talis, cùm naturale sit,
minus bonum ad majus referri: Ergò Finis
sim-

simpliciter ultimus debet esse summum bonum, & consequenter III. Finis simpliciter ultimus relata ad naturam intellectualem est ipsa ejus beatitudo objectiva. Nam ut ad mentem Philosophorum beatitudinem describit Sootus 4. dist. 49. q. 2. s. de secundo, beatitudo est *bonum ultimum*, excludens *tendentiam*, & *ordinabilitatem ad aliud completius bonum*; sed tale bonum ultimum, excludens ordinabilitatem ad aliud completius bonum, ex ipsis terminis est Finis ultimus relata ad naturam intellectualem: ergo beatitudo est *ipsissimum finis ultimus relata ad naturam intellectualem*.

Punctum IV. *Utrum detur aliquis finis ultimus totius universi, & humanæ vitae?*

RESOL. I. Datur aliquis finis ultimus II totius naturæ creatæ, & creabilis. Ita omnes cum Scoto 1. dist. 2. q. 2. s. Juxta tres Conclusiones. Cujus rationes sunt exdem, quibus antea probaverat dari aliquod primum efficiens, scilicet I. quia universitas causatorum est finita, id est, causata causalitate finis: ergo dependet ab aliquo, tanquam à fine; non ab aliquo illius universitatis, quia idem esset finis sui ipsius: ergo ab alio extra illam universitatem; & consequenter extra universitatem entium habentium finem datur aliquod ens, nullum habens finem: ergo erit ultimus finis. II.

Quia

Quia si non daretur status in finibus, seu ultimus finis: ergò actu darentur infiniti fines; quod nullus Philosophus admittit, & impossibile esse demonstrat Sanctus Thomas citandus, quia in omnibus, quæ per se habent ordinem ad invicem, seu in essentialiter ordinatis, remoto primo, necesse est, ut removeantur omnia, quæ sunt ad primum; ex quo Philosophus in 8. Pbyf. tex. 34. probat, in causis moventibus non posse procedi in infinitum, quia si nullum esset primum movens, nulla alia possent movere, cùm non moveant, nisi per hoc, quòd moveantur à primo movente. Atqui in finibus invenitur duplex ordo per se, scilicet ordo intentionis, & executionis: & in utroque ordine oportet esse aliquod primum; si enim in ordine intentionis non daretur aliquod primum, appetitus à nullo moveretur, cùm primum in ordine intentionis sit quasi principium movens appetitum: si in ordine executionis non daretur primum, nullus inciperet aliquid operari, eò quòd principium in ordine executionis sit, unde incipit operatio: ergò in finibus necesse est admetti aliquod, quod sit primum in ordine intentionis, & in ordine executionis. Subsumo: sed primum in ordine intentionis est ultimus finis, & primum in ordine executionis est primum,

eo-

eorum, quæ sunt ad finem: ergò admitti debet aliquis ultimus finis, & aliquod primum in his, quæ sunt ad finem. III. Quia prius est, quod est primo propinquius: ergò si non daretur primum in sicibus, seu ultimus finis, ex iis, quæ sunt ad finem, nihil esset essentialiter prius altero, & sic nullus ordo essentialis, quod est evidenter falsum. IV. Quia superior finis est perfectior in finiendo: ergò in infinitum superior, erit in infinitum perfectior, & ita infinitæ perfectionis in finiendo; & per consequens non finiens in virtute alterius, quia omne finiens in virtute alterius, est finiens imperfectè; quia dependens ab alio in finiendo: ergò erit primus, seu ultimatus finis. V. Quia esse finem non includit de necessitate imperfectionem; ergò potest esse in aliquo sinè imperfectione; sed si in nullo est sinè dependentia ad aliquid prius, in nullo est sinè imperfectione, ut patet: ergò esse finem potest esse in aliquo sinè dependentia ad aliquid prius: ergò est possibilis finis independens ab alio, & ita ultimus finis. At si est possibilis, actu existit; cui enim repugnat dependere ab alio, si potest esse, necessariò est, quia nihil inveniri potest, dependenter à quo sit. Atque his quinque rationibus existentiam primi finali, id est, ultimi finis in finibilis, ostendit

sub-

subtilissimus Doctor loc. cit. quas pro illis solum, qui speculationibus delectantur, recitare volui. Pro aliis

12 RESOL. II. Datur in specie aliquis finis ultimus vitæ humanæ, hoc est talis, in quem, præter fines singulares cuilibet actioni proprios, homo ductum rationis sequens tendere, & conniti debet, dum operatur. Hoc quidem intendit S. Thomas, dum I. 2. quæst. I. art. 4. hunc præfigit titulum: *Utrum sit aliquis ultimus finis humanae vitæ?* sed nec directè ad hoc responderet, nec probat, sed solum, quod per se loquendo, impossibile est in finibus procedere in infinitum. Ex quo principio, ibidem probato, solum sequitur nostræ præcedentis Resolutionis veritas, dari aliquem finem ultimum generalis omnis creaturæ. Fateor tamen facile deduci posse ex ejus ratione probativa, quæ est, quod tam in ordine intentionis, quam in ordine executionis debeat admitti aliquid primum, à quo mensurentur, vel saltem possint mensurari singulæ actiones eorum, quorum proprium est operari propter finem: ergo cum hominis proprium sit operari propter finem, singularum actionum hominis, adeoque totius vitæ humanae, debet esse aliquis finis ultimus. Breviter autem à nobis probatur sic: tota vita humana est ad consequendam beatitudinem,

nem, extra quam nulla est quies; sed beatitudo objectiva est ipse ultimus finis naturalium intellectualium, ut ex Puncto præced. constat: ergo tota vita humana est ad consequendum finem ultimum: ergo datur finis quidam ultimus humanæ vitæ. Sed ex hac ipsa probatione oritur

Punctum V. Unde constet dari aliquam beatitudinem naturæ humanae convenientem?

RESOL. Dari aliquam beatitudinem, i3
humanæ naturæ convenientem, quæcumque illa sit, constat manifestè tūm ex universali sensu, & instinctu humano; quia ut loquitur Augustinus lib. 1. de morib. Ecclesiæ cap. 3. Beati certè omnes vivere volumus, neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiae, antequam plenè sit emissâ, consentiat; nec ulla unquam fuit hominum secta, quæ beatitudinem negaverit, sed concorditer omnes sive in hac, sive in altera vita admisserunt: tūm ab experientia, quâ constat, dari in nobis naturalem, & innatam inclinationem ad bonum perfectum, sinè quo manemus imperfecti, & inquieti; sed sola beatitudo est bonum perfectum absolute, quod propter se, & nunquam propter aliud sumitur, & se ipso satis est, inquit Aristoteles 1. Ethic. cap. 5. Ergo.

Pun-

Punctum VI. An iste finis ultimus necessariò
sit unicus, ità, ut non possint esse plures fines ultimi
bujus universi, vel hominis operantis?

14. RESOL. I. Non possunt istius universi
plures esse fines ultimi, quām unus. Hoc
probat Scotus cit. dist. 2. quæst. 2. §. Quantum
ad tertium artic. y. Hoc patet tertio. Quia si da-
rentur duo ultimi fines, vel ambo termina-
rent coordinationem entium ejusdem uni-
versi, vel distinctorum universorum? non.
distinctorum; quia nullus est, qui asserat
plura dari universa. Nec ejusdem, quia
tota coordinatio entium universi est tan-
tum ad unicum finem, teste Philosopho
12. Metaph. tex. ult. & alias idem causatum
simul dependeret à duabus causis finalibus
totalibus, & perfectis, quod est impossibi-
le.

15. RESOL. II. Nequeunt etiam ejusdem
hominis operantis esse simul plures ultimi
fines. Hujus triplicem rationem assignat
D. Thomas in cit. quæst. 1. art. 5. Prima; quia
cūm unumquodque appetat suam perfe-
ctionem, illud appetit aliquis ut ultimum
finem, quod appetit ut bonum perfectum,
& completivum suī; sed si darentur plures
ultimi fines, neutrum appeteret ut bonum
completivum suī; quia per neutrum seor-
sim impleretur ejus appetitus: ergo. Se-
cunda: quia sicut in processu rationis uni-
cum

cum est principium primum, quod naturaliter cognoscitur, ita in processu rationalis appetitus, qui est voluntas, unicum debet esse principium id, quod naturaliter desideratur; natura quippe non tendit, nisi ad unum: ergo cum principium primum rationalis appetitus sit ultimus finis, ultimum finem oportet esse unicum. Tertia: quia cum actiones voluntariae à fine proximo sortiantur speciem, debent à fine ultimo, qui communis est, sortiri rationem generis; atqui omnia appetibilia voluntatis, in quantum hujusmodi, sunt unius generis: ergo etiam habent eundem finem ultimum.

RESOL. III. Potest idem homo divisim 16 seu successivè, & diversi homines etiam simul, intendere plures fines ultimos, etiam totales. Herincx *Summ. Theol. tom. 2. disp. 1. quest. 5. num. 28.* Ratio est; quia potest homo existimare, nunc in hac, nunc in illa re contineri complementum sui desiderii, & satiationem sui appetitus: quod ipsum pro eodem tempore etiam per errorem sentire possunt distincti homines; atqui tunc non possent eundem finem ultimum sibi praestitare, ut clarum est: ergo. Verum ex hoc enascitur

Punctum VII. *An ergo non sit unus idemque finis ultimus omnium hominum?*

B

RE-

¹⁷ RESOL. I. Attendendo rationem ultimi finis in communi, & præscindendo à re illa in particulari, in qua ratio finis ultimi invenitur, sic omnium hominum est unus idémque finis ultimus. Sic D. Thomas in cit. quest. 1. artic. 7. Et ratio est; quia ratio ultimi finis in communi aliud non dicitur, quām complementum suae perfectionis, & desiderii; sed nullus est, qui non intendat perfectionem suam, & desiderium adimpleri: ergo nullus est, qui non intendat eandem rationem ultimi finis in communi consideracem.

¹⁸ RESOL. II. Attendendo etiam rem iliam in particulari, in qua ratio ultimi finis verè & realiter invenitur, unus idémque est finis ultimus omnium hominum; immo & omnium creaturarum totius universitatis alio modo hominum, & alio modo creaturarum ratione carentium. Est Div. Thomæ in cit. art. 7. § 8. & Scoti 4. dist. 49. quest. 8. §. secundò videndum est. ¶ Ad aliud de fine. Ratio primi, & secundi est; quia ille solus potest esse ultimus finis verè & realiter sive hominum, sive aliarum creaturarum, qui in re est summum Bonum, cùm aliud inferius nec possit re ipsa perfectè satiare appetitum, nec plenè terminare dependentiam, quam quævis creatura essentialiter habet ad suam causam finalem; sed

sed implicat in re esse multiplex summum. Bonum : ergò implicat in re esse multipli-
cem finem ultimum, sive hominum, sive
aliorum creaturarum, sed est unus idém-
que singulorum, & universorum. min. pa-
tet ; quia si essent plura summa bona in re,
simul sumpta includerent plus bonitatis,
quam sumpta seorsim, & sic seorsim neu-
trum esset summum Bonum, quia non per-
fectè quietaret appetitum, adhuc majoris
bonitatis desiderandæ capacem. Ratio ter-
tii est ; quia respectu hominum (adde, &
Angelorum, & animarum separatarum) iste
finis ultimus se habet ut terminus, propria
eorum actione intendendus, & consequen-
dus ; at respectu creaturarum ratione ca-
rentium se solum habet ut causa, illas ipsas
id se dirigens, & coordinans : nobiliori
ergò modo est finis respectu hominum,,
quam aliorum.

RESOL. III. Attendendo rem illam in 19
particulari, in qua rationem ultimi finis
appetitu elicito constituunt singulariter ho-
mines ipsis, sic non unus idemque est fi-
nis ultimus omnium hominum, sed varius.
Pater; quia Gentiles olim diversissimos fi-
nes ultimos sibi præstiterunt : Stoici, quo-
rum Dux erat Zeno, finem suum ultimum
constituerunt in virtutibus animi, teste Au-
gustino lib. 13. de Trinit. cap. 4. § 5. Epicuræi

in voluptatibus corporis, ex eod. in lib. de Epicureis, cap. 24. Academicī in bonis animæ & corporis simul, ex eod. lib. 19. de Civit. DEI cap. 3. Et diversi denique in diversis aliis, ut idem recenset lib. 2. de lib. arb. cap. 13. Accedit ratio; quia utique alium finem ultimum sibi præfigit, inhians virtutibus, quam deditus vitiis, operans bene, quam operans malè: adeoque &c.

Punctum VIII. *Quis sit re ipsa finis ultimus tam hominum, quam ceterarum creaturarum?*

20 RESOL. I. Nullum bonum ex creatis potest esse re ipsa finis ultimus hominis, sed solum bonum increatum, DEUS Optimus Maximus. Est certa de fide contra male sanam antiquitatem. Prob. quia in nullo bono ex creatis reperitur completa bonitas, quæ appetitum hominis possit re ipsa satiare, sed cuncta, quæ fiunt sub sole, universa vanitas, afflictio spiritū, ait Ecclesiastes cap. 1. Aspice bona fortunæ, quam sint caduca! quam evanida! quid enim prodest stulto habere divitias, cum sapientiam babere non possit? inquit idem Proverb. 17. Aspice vitam corporis, quam sit misera! quam volatilis! Militia super terram. Job. 7. Repleta multis miseriis, cap. 14. Vapor ad modicum parens, Jacob. 4. Aspice bona animi, ipsumque animum, quanta ejus inconstantia! quanta amaritudo! quanta ignorantia! quanta dejectio!

VII

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Jac. 1. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Isa. 38. Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via DEI, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum; qui desperantes, seipso tradiderunt impudicitiae, in operationem immundicie omnis, in avaritiam. Ephes. 4. Fatendum igitur, & in hac parte, concludit August. lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. Omne, quod præsentis vitæ est, occupare miseriam. E contrario solus DEUS, tanquam Bonum infinitum, perfetè, & irreferibiliter satiare potest appetitum rationalem hominis, ut recte Psaltes Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. In eo solo quiescit vita hominis. Joan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum &c. In ipso solo omnia possidemus. Psal. 72. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? & Tob. 9. Omnia simul in te uno habentes. Ipse solus est merces nostra. Genes. 15. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Ipse solus est beatitudo nostra. Psal. 143. Beatus populus, cuius Dominus DEUS ejus. Ec Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Ipse solus est terminus peregrinationis nostræ. 2. Cor. 5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domi-

ne, quam abscondisti timentibus te! Psal. 30.
Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.
Psal. 83. Desiderium habens dissolvi, & esse cum
Christo. Philipp. 1.

21 RESOL. II. Solus DEUS est in re etiam
Finis ultimus cæterarum Creaturarum, &
consequenter totius universi. Prob. I.
ex Oraculo ipsius DEI, Apocal. 1. dicentis:
Ego sum Alpha, & Omega, Principium, & Finis.
Ubi DEUS eodem modo se affirmat esse fi-
nem, quo est principium; atqui est princi-
pium universorum: ergò & finis. Et con-
firmat Salomon Proverb. cap. 16. enuntians:
Universa propter semetipsum operatus est Dominus.
Unde & Daniel. 3. creaturæ omnes ad EUM,
tanquam finem suum ultimum laud. n. lumen
excitantur. II. Ratione Scoti, quam af-
fert 1. dist. 2. quest. 2. §. Juxta tres Conclusiones,
Concl. 2. Quia primum finitivum, seu quod
est finis ultimus omnium finibilium, neces-
sariò est incausabile; sed nihil est incausa-
bile, præter DEUM, ut per se patet: ergò
primum finitivum, seu finis ultimus omniū
finibilium, nihil est præter DEUM. Maj.
prob. Primum finitivum, hoc ipso quod
sit primum, est infinitibile; sed quod est in-
finitibile, est etiam incausabile, seu ineffecti-
bile: ergò. min. prob. quia juxta Philoso-
phum 2. Phys. tex. 49. 61. & 75. omne per se
agens agit propter finem: ergò cuius nul-
lus

lus est finis, illius nullum est per se agens; sed illius, quod est in finibile, nullus est finis: ergo etiam nullum per se agens, id est, efficiens. III. Quia non minus ad DEI perfectionem spectat, quod omnes Creaturæ ad ipsum tanquam ultimum finem referantur, quamquam quod ab eo tanquam primo principio dependeant; quandoquidem auctoritas ultimi finis non est minor, quam causa efficientis, involvitque supremam beatitudinem, in quam reliquæ perfectiones resolvuntur.

Punctum IX. *Utrum homo cuncta, quæ appetit, & agit, appetat & agat propter ultimum finem?*

Ante Resolutionem advertendum, hoc Punctum tripliciter posse in questionem verti. I. An homo, quæcunque agit, agat propter ultimum finem re ipsa talem, nempe ex dictis, propter DEUM? II. An cuncta, quæ agit, agat necessariò propter id, in quo ipse suapte libertate finem ultimum constituit? III. An saltem universa agat propter finem ultimum in communi, seu prout à particulari ratione finis ultimi præscindit? Potest etiam dubium hoc moveri tam de appetitu innato, qui est congenitus, immò realiter identificatus voluntatis quam de appetitu elicito, qui est actus liber, & realiter separabilis à voluntate. Jam

B 4

RE-

22 RESOL. I. Appetitu innato homo quilibet, sive aliquid agat, sive non, semper, necessariò, & summè appetit suum finem ultimum, nedium in communi, sed etiam in particulari, & prout est re ipsa talis, nempe DEUM supernaturali modo possidendum. Ità expressè Scotus 4. dist. 49. q. 10. §. Respondeo ad primam quæstionem. ¶ De illo appetitu naturali. Idémque tenent S. Bonav. cit. dist. 49. art. 1. quæst. 2. Alensis, Henricus, Durandus, & videtur insinuare ipse D. Thomas 1. 2. quæst. 3. art. 8. ubi admittit in homine naturale desiderium videndi DEUM. Ratio est; tum quia S. Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 8. expressè dicit: *Ad appetendum beatitudinem natura compellit, cui summè bonus, & immutabilis Creator hoc indidit.* Tum quia appetitus innatus passivus nihil aliud dicit, quàm intrinsecam alicujus subjecti perfectibilitatem; sed homo, vel voluntas hominis, tam respectu beatitudinis objectivæ, quàm formalis, habet intrinsecam perfectibilitatem, cùm DEUS ut ultimus finis supernaturalis, & naturalis sit maxima hominis perfectio: ergo respectu illius habet appetitum innatum. Tum quia unaquæque res suapte natura fertur in aliquid, in quo ultimè quiescit, veluti pondus ad suum centrum; ergò etiam homo ex sua natura fertur in finem suum ultimum, tanquam

quam amoris sui centrum, juxta illud Augustini: *Amor meus pondus meum; illuc feror, quocunque feror.*

Et per hæc patet, quod homo appetitu innato DEUM tanquam finem suum ultimum, non modò naturalem, sed etiam supernaturalem appetat semper, & necessariò; quia ut arguit Scotus cit. *Natura non potest remanere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem, quia si tollas illam inclinationem, tollis naturam; sed appetitus naturalis non est, nisi inclinatio talis: ergo ut sic necessariò appetit beatitudinem, seu finem suam ultimum, quia illa est maxima perfectio.* Quod autem etiam summè illum appetat, probatur; quia summa inclinatio naturæ est ad summam perfectionem: sic enim arguit Philosophus 1. *Metaph. in Proœm.* *Si omnes homines naturâ scire desiderant: ergo maximam scientiam maximè desiderant; sed summa perfectio hominis est finis suus ultimus supernaturalis: ergo.*

Neque his ullenus obstat, quod tam finis ipse ultimus, quam ejus consecutio, sit supernaturalis quoad substantiam; appetitus innatus verò hominis sit entitatè naturalis: naturalitas quippe, & supernaturalitas formarum non ex qualitate appetitus, sed agentis desumenda est. Quid enim aliud est hic appetitus innatus, nisi potentia recipiendi suam perfectionem ul-

timam? Atqui potentia recipiendi potest esse naturalis, etsi perfectio, quae recipitur, sit supernaturalis, ut rursus patet per Augustinum lib. de predest. SS. cap. 5. dicentem: *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturae est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiae est fidelium.*

23 RESOL. II. Secundum appetitum elicatum, homo non omnia, quæcunque appetit, & agit, appetit & agit propter ultimum finem, re ipsa talem, scilicet propter DEUM, qui est nostra vera beatitudo singularis. Est contra aliquos Thomistas. Ratio à priori est I. quia appetitus elicitus erga DEUM, ut est ultimus noster finis, necessariò presupponit cognitionem DEI, seu cogitationem de DEO, cùm nihil volitum, nisi præcognitum; atqui non semper, dum aliquis operatur, habet cogitationem de DEO: ergò nec appetitum elicatum ipsius. II. Supposita etiam cogitatione de DEO, adhuc ille appetitus elicitus est liber, libertate saltem exercitii: ergò potest elici, vel non elici; vel dicatur, unde sit illa necessaria determinatio voluntatis ad eum elendum? III. Supposito etiam, quod operationem nostram antecesserit appetitus elicitus ultimi finis, adhuc affirmare non possumus, quod quæ appetimus, vel agimus,

ap-

appetamus, vel agamus propter ultimum finem, nisi appetitus ille præcedens cum operibus sequentibus sit aliquo modo con-nexus, ut optimè notarunt Div. Bonavent. 2. dist. 41. artic. 1. quæst. 3. & Richardus *ibid.* art. 1. quæst. 2. Atqui nullum est fundamen-tum probabile dicendi, dari talem necessa-riam connexionem inter voluntatem ulti-mi finis præcedentem, & opera sequentia, cùm plurima operemur, ad quæ operanda tamen nullo modo nos moveri sentiamus per voluntatem ultimi finis verè talis, nem-pe ipsius DEI: ergo. Alia est ratio à po-steriori; quia nimis absurdum est dicere, hominem, etiam dum mortaliter peccat, ne dicam venialiter, operari propter DEUM, propter DEUM furari, fornicari, mentiri, blasphemare &c. imò in tali casu homo etiam non agit propter DEUM contrariè, cùm sciat actum suum non esse ordinabilem ad DEUM, sed ab ipso avertere, & tamen ipsum eligit, ut bene arguit Scotus mox ci-tandus.

RESOL. III. Neque congruenter dici potest, quòd homo, quæcunque appetit & agit, appetat & agat propter id, in quo ipse suum ultimum finem constituit. Ità Herincx cit. quæst. 4. Ratio est; quia alioquin, cùm Atheistæ, & Infideles finem suum ulti-mum constituant in aliquo objecto creato,

v.g.

v.g. in voluptate corporis, in omni opere peccarent: quod expressè damnatum est à S. Pio V. in Propositione 25. Bajii: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Confirmatur; quia opera omnia alicujus hominis, neque tendunt ad illum ultimum finem, ab eo sibi praefixum, ex natura sua, ut patet: neque ex intentione ipsius hominis; quis enim dicat, Epicuræum, dum insistit duro labori, nihil de voluptate cogitans, laborare propter voluptatem?

²⁵ RESOL. IV. Neque tandem veritati congruum est, hominem in omnibus, quæ appetit & agit, appetere, & intendere finem ultimum in communi, nempe beatitudinem universè consideratam, ut vult Vasquez in 1.2. disp. 6. cap. 2. secutus Durandum, Conradum, & alios. Ità Scotus cit. dist. 49. quest. 10. §. Ex his sequitur.

Probatur. Quia non omnes, dum quid appetunt, vel operantur, actu cogitant de fine ultimo in communi, seu de beatitudine universè accepta: ergò nec actum suum in ipsam referunt. Deinde nihil prohibet, quin voluntas possit sistere in illo bono particulari, quod appetit, tanquam in fine negativè, seu non referendo illud ad alium finem, sed volendo ipsum propter se, vi præsentis motivi, quamvis in se sit referibile

bile ad alium finem; atqui sic non vellet ipsum propter beatitudinem, ut pater: ergo &c. Maj. videtur certa: potest enim contingere, quod intellectus illud bonum particulare praecepsè proponat voluntati sub ratione sua absolutam, & praecepsò ordine ad aliud bonum; atqui tunc voluntas omnino sisteret in illo bono, cum nihil volitum, nisi cognitum: ergo.

Neque praedictis contradicit Augustinus *lib. 6. confess. cap. 11.* dum hominem etiam malis voluptatibus, abducentibus à beata vita, eam querere, & appetere affirmat... Quia ut explicat Herincx *cit. S. Doctor* plus non vult, quam quod homo in omnibus querat aliquam felicitatem, sive veram, sive apparentem, saltēm imperfectam, cum quodlibet appetat sub specie boni; hæc tamen ad ultimum finem, etiam genericè acceptum, non sufficit, quia ultimus finis, etiam genericè, dicit summum bonum, perfectè latiativum, & completivum appetitus, quale in hujusmodi bono particulari, & leviculo non apprehenditur. Et ideo valde impropiè loquuntur Doctores illi, qui ex eo volunt deducere, hominem in quovis opere appetere ultimum finem in communi, quod semper intendat aliquod bonum, & carentiam alicujus mali; hoc enim non est appetere finem ultimum, ut
pote

pote cuius nomine venit bonum optimum perfectè satians, cuius nè quidem pars est illud bonum particulare, quod appetitur.

Punctum X. *Quis ergò sit Finis ultimus hominis mortaliter peccantis?*

26 RESOL. I. Omnis mortaliter peccans, quantum ad affectum, & interpretativè, constituit finem suum ultimum in aliquo bono creato. Hæc est communis Theologorum cum D. Thoma quest. 28. de Verit. art. 1. Et probatur ex Scriptura Jerem. 2. ubi ita conqueritur DEUS; *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (per hoc denotatur aversio ab ultimo fine vero) *& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas;* per quod significatur conversio ad alium finem ultimum præfixum, vel apparentem. Unde etiam Augustinus l. 2. de lib. arb. cap. 19. definit peccatum, quod sit *aversio à bono incommutabili,* & *conversio ad commutabilia bona.* Ratio vero est; quia eum mortaliter peccans se simpliciter & positivè avertat in actu à fine suo ultimo vero, & increato, præsumitur eo ipso velle sibi præfigere alium finem ultimum; atqui non increatum, cum duos increatos fines absque fictione apprehendere non possit: ergò creatum. Ex quo sequitur, quod homo mortaliter peccans, retinens tamen habitum Spei Theologicæ, simpliciter, & ef-

fica-

ficaciter solum censeatur intendere pro fine ultimo bonum creatum, ad quod se effectivè convertit; esto remotè, secundùm quid, & inefficaciter ratione habitus Spei retentus possit dici etiam tendere in alium finem ultimum increatum, sed nonnisi divisim à statu moderno efficaciter sibi præstituendum. Unde nihil contradictoriè ad Resolutiones Puncti VI. potest inferri.

RESOL. II. Homo mortaliter peccans,²⁷ quantum ad affectum, & interpretativè, constituit finem suum ultimum in se ipso, ita quidem, ut persona peccantis sit Finis cui, proprium verò ejus commodum, in actu peccati quæsitum, finis cuius. Ita, opinor, communis Scotistarum, & Thomistarum.

Probatur. Quia initium omnis perversitatis est pravus amor sui ipsius, uti milles authoritatibus probari posset. S. Paulus ad Philipp. cap. 2. ait de peccatoribus: Omnes querunt, quæ sua sunt, non quæ JESU Christi. D. Augustinus l. 14. de Civ. cap. 13. Duo amores fecerunt sibi civitates, scilicet Civitatem DEI amor DEI usque ad contemptum sui; Civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum DEI. S. Thomas in 2. dist. 42. quest. 2. art. 1. Finis ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia querit. Concordant D. Bonav. in op. stimul. Div. am. p. 2. c. 6.

&c.

& Scotus 2. dist. 6. q. 2. §. In ista quæstione, ubi concorditer ad Augustinum, radicem omnium peccatorum dicunt esse inordinatum amorem suum. Et quid mirum? cùm ipse Aristoteles, utut gentilis, 9. Ethic. c. 4. § 8. afferat: *Pravus sui gratiâ agit, & tantò magis, quantò pravior est.* Rationem Theologicam damus ex Scoto cit. quia omne peccatum radicatur in aliquo inordinato velle amicitiae; non DEI, quia respectu ipsius non est possibilis amor amicitiae inordinatus: neque aliorum, cùm connaturalius sit se ipsum excessivè diligere, quàm aliud creatum: ergò suum ipsius.

Nec refert, quod aliqui peccent ex indiscreto zelo, arbitrantes se præstare obsequium DEO, juxta vaticinium Christi *Ioan. 16.* multi etiam ex ignorantia vincible, quatenus putant se per actionem malam implere præceptum DEI; adeoque apparenter saltem plus diligent DEUM, quàm proprium bonum creatum. Nihil refert; nam & hi ex inordinato suum amore inducuntur ad eam proprii judicii pertinaciam, & legis inquirendæ negligentiam; unde interpretativè censentur plus se ipsos, quàm DEI Voluntatem legislativam diligere, & appretiare.

Quia tamen dubicare quis posset, in quo ista inordinatio amoris consistat, cùm se

se ipsum, vel aliam creaturam diligere, de se sit quid licitum, & honestum, ideo sit

RESOL. III. Tunc dicitur homo inordinatus amare se ipsum, vel etiam aliam creaturam, quando se, vel illam amat, ubi non debet, vel plus quam debet, vel facit contrarium ejus, quod DEUS præcepit; tunc enim ejus actio est inordinata ex magnitudine dilectionis, & ex contemptu Divinæ prohibitionis. Ita Div. Bonaventura 2. dist. 40. dub. 2. in fine.

Punctum XI. In quonam venialiter peccans constitutat finem ultimum?

RESOL. I. Venialiter peccans neque actualiter finem suum ultimum constituit in DEO, neque in creatura. Ratio primi est; quia actualiter constituens ultimum finem in DEO, debet ponere actum referibilem in DEUM; sed actus venialiter malus, hoc ipso, quod sit factus contra prohibitionem DEI, non est referibilis in DEUM: ergo. Ratio secundi est; quia constituere finem ultimum in creatura est proprium peccati mortalis, utpote quod perfectio soli DEO debita transfertur in creaturam, saltem quantum ad effectum, & interpretative: quod planè peccato veniali convenire non potest. Nec ex alia ratione affirmant Thomistæ, quam quia existimant, quod homo in omni sua operatione feratur in aliquem

C

quem

quem finem ultimum; hoc autem fundamentum esse ruinosum, patet ex *Resol. Pun-
di IX.*

3º RESOL. II. Venialiter peccans habitu adhuc constituit finem suum ultimum in DEO; actu autem vult aliquid, non propter ultimum finem, negativè: imò aliquatenus etiam contrariè. Est conformis *Sco-
to* in *cit. dist. 49. quest. 10. §. Ex his seq. itur.* Et prima pars patet; quia venialiter pec-
cans adhuc manet per habitum char. tatis & gratiæ conjunctus DEO, fini suo ultimo:
ergò habitu adhuc constituit suum finem-
ultimum in DEO. Secunda etiam; quia talis actu vult aliquid irreferibile in hunc finem ultimum: ergò vult aliquid, non propter ultimum finem, negativè saltèm; nam si positivè vellit quiescere in illo bono
creato, jam vellit aliquid, non propter ultimum finem verum, simpliciter contrariè,
quatenus finem ultimum actu constitueret
in alio bono: sic autem peccatum veniale
transiret in mortale. Liquet etiam tertia
pars; nam licet per peccatum veniale se
simpliciter non avertat à DEO, avertit se
tamen ab aliqua ejus lege, ad ipsum tan-
quam ultimum finem consequendum utili,
quamvis non necessaria, & sic aliquatenus
appetit aliquid, non propter ultimum finem,
etiam contrariè.

Pun-

Punctum XII. Utrum homo teneatur ex lege aliqua, omnia sua opera referre in finem suum ultimum verum, nempe in ipsum DEUM?

Hactenùs fermè in speculativis nos detinuimus; nunc autem prædicta omnia ad praxin ordinabimus.

RFSOL. I. Utilissimum, omnique homini Christiano maximoperè recommendandum est studium illud, quò omnia sua opera, relationis in DEUM capacia, in ipsum tanquam finem suum ultimum referat, ac dirigat per intentionem efficacem. Dixi: *Relationis in DEUM capacia*, scilicet ex objecto suo moraliter bona, vel indifferencia, non verò illa, quæ sunt intrinsecè mala; nam talia scienter velle exercere ob DEI gloriam, vel honorem, qui directè per illa læditur, est velle DEO illudere, sicutque potius abominatione, quam laude dignum. Resolutio verò sic exposita, facilè probatur. Ille enim operandi modus est utilissimus, scilicet ad ipsius finis ultimi consecutionem, omnique Christiano maximo perè recommendandus, per quem accuratissimè conformamur modo operandi ipsiusmet DEI; quia *DEI perfecta sunt opera*, Deuter. 32. & ipse Christus perfectionem DEI in operando imitari nos docuit. Matth. 5. *Estate ergo Ego vos perfecti, sicut Ego Pater vester cœlestis perfectus es.* Atqui operando omnia

propter DEUM, sicutque referendo omnia in ipsum, tanquam finem nostrum ultimum, accuratissimè conformamur modo operandi ipsius DEI, utpote qui universa propter se metipsum operatus est. Proverb. 16. Ergò. Nec verbô solùm hoc Christus docuit, verùm etiam in opere ostendit, unde de se ipso Joan. 8. *Ego autem non quero gloriam meam, sed honorifico Patrem meum.* Hoc etiam inculcat Sapiens Eccles. 9. *Vade & comedē in lētitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia DEO placent opera tua.* Et articulatiūs Doctor gentium 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Et quis non utilissimum dicat hoc virtutis studium, quō opera etiam indifferētia, & vilissima ex objecto, redundunt æternæ vitæ meritoria? sed quia ex textibus illis quidam volunt eruere obligatiōnem referendi opera omnia in finem ultimum verum, sit

32 RESOL. II. Nulla lege tenetur homo omnia sua opera referre in finem suum ultimum, qui est DEUS. Est modò communis Theologorum contra Bajanos, & Jansenistas. Ideo enim damnata fuit hæc propositio Baji: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia;* quia præfatus Doctor volebat, actus virtutum moralium, quos infideles verum DEUM non

non agnoscentes, & Philosophi alium finem ultimum hominis prætendentes, in DEUM non dirigebant, fuisse mera peccata: quod utique sequeretur, si existeret lex omnia nostra opera in verum DEUM dirigendi. In hoc ipsum collimant plurimæ aliæ propositiones, tūm ex Bajo, tūm ex Jansenistis Baji sequacibus damnatæ, velut illa ab Alessandro VIII. *Omnis humana actio deliberata, est dilectio DEI, vel mundi; si DEI, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est: & illa à Clemente XI.* Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; *Amor DEI, qui omnia agit propter DEUM, quemque DEUS remuneratur; & amor, quō nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad DEUM referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Quid, quæso, clariùs in hac propositione perstringitur, quām dicere, omnia opera ex præcepto ad DEUM referenda esse, alioquin mala evadere? Sed scrutemur, cujusnam legis sit hoc præceptum. An legis naturæ? At illud communiter etiam sapientes & timorati, quorum tamen cordibus lex naturæ est inscripta, non agnoscent, quin potius judicant rationi naturali multūm consentaneum, si homo sectetur temperantiam, justitiam, aliasque virtutes morales propter honestatem his ipsis virtutibus intrinsecam, neque illa

ulterioris ordinationis in DEUM necessitas ex aliquo principio naturaliter noto sinè violentia deducitur. An legis Divinæ positivæ? At nusquam talis obligatio clarè exprimitur; quod enim Apostolus suprà 1. Cor. 10. dicat omnia esse facienda in gloriam DEI, explicat Doctor Seraphicus 2. dist. 41. art. 1. quest. 3. posse accipi affirmativè, & negativè. Si negativè, afferit sonare præceptum, quia sensus est, ut nihil contra gloriam DEI faciamus: si affirmativè, dicit continere consilium, & admonitionem salutarem, ad animæ salutem promovendam utilem, non præceptum. Eiusdem mentis est Scotus ead. dist. q. un. Et ita etiam interpretandi erunt alii textus, ut ad Coloss. 3. & consimiles. An demum Legis humanæ, Civilis vel Ecclesiasticæ? sed in hac nec umbram talis obligationis datur invenire. Consequenter adeò universalis obligatio hominibus imposita non extat. Dico, adeò universalis; nam

33 RESOL. III. Nullum est dubium, quin certis temporibus, & occasionibus teneatur homo, supposita ordinatione ejus in finem supernaturalem, per media convenientia se in illum dirigere. Ratio clara est; quia certis temporibus, & occasionibus tenetur homo in DEUM credere, eum sperare, propter se diligere, orare, & adorare

rare &c. sed in his omnibus se in DEUM, tanquam in finem suum supernaturalem dirigit: ergò &c. Certè si res omnis, etiam inanimata, tendat ad suum centrum; quis non gravis culpæ reum existimet hominem, qui ad centrum suum, finem ultimum, DEUM, nolit, vel negligat tendere, & ascendere, cùm tamen DEUS ipse, ex agnitione etiam pagani Poëtæ:

*Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Cur enim homini, ad imaginem & similitudinem suam creato, præter appetitum naturalem indidit appetitum rationalem, & elicitum, nisi ut per eum toto affectu redeat ad suum principium, à quo exivit, & tendat ad suum finem, ad quem creatus est? est autem unicè creatus ad DEI gloriam, attestante ipso per os Isa. 41. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.*

§. II.

Praxis Confessoriorum circa expositam Doctrinam.

CASUS I.

*A*gesilaus loci cuiusdam Dynasta tantâ rerum omnium affluentâ quotidie fruebatur, ut For-

C 4

tuna

tuna opes omnes in eum solum congerere videretur.
 Accidit autem, ut vir spiritualis, ad eum invisens,
 sermonem haberet de contemptibilitate bonorum
 terrenorum in comparatione cœlestium. Tunc ille:
Si DEUS per mille annos mihi permitteret quie-
tam fruitionem omnium bonorum meorum, quæ
possideo, nè tantillô amplius ei suum cœlum invide-
rem, sed dicerem: Cœlum Cœli Domino, ter-
ram autem dedit filiis hominum. Quid jam
de hoc homine, si hoc dictum ad sacrum Tribunal
deferret, censendum?

RESOLUTIO.

34 **N**otissimum suppono hoc dictum, & fa-
 tum, ex Historiographis, & Præco-
 nibus sacris. Censeo itaque, hunc Agesi-
 laum de sorte Epicuræorum, *quorum Deus*
venter est, ad Philipp. 3. esse reputandum, ut-
 pote qui patenter ultimum suum finem in
 perituris hisce rebus, contemptō cœli Do-
 minō, constituerit. Unde sequitur, talem
 peccâsse mortaliter I. contra charitatem
 DEI, quatenus bona terrestria plus appre-
 tiavit, quām ipsum DEUM in cœlesti glo-
 ria possidendum. II. Contra Religionem,
 dum honorem finis ultimi, soli DEO de-
 bitum non interpretativè tantum, & vir-
 tualiter, ut sit in omni peccato mortali, sed
 expressè, & formaliter attribuit creaturæ,
 in

in quo consistit verissima malitia idololatriæ, de qua in Trismegisto secundò continuato dist. un. cap. 1. num. 7. & seqq. Quippe nemo potest duobus Dominis servire; aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum suscinebit, & alterum contemnet. Et ideo, subintulit Christus, non potestis DEO servire, & Mammonæ. Matth. 6. III. Contra charitatem suī ipsius, quatenū ex solo amore temporalium voluit de se efficaciter se privare bonis æternalibūs, Divina bonitate sibi destinatis. IV. Fortè etiam contra fidem, discredendō immortalitatem animæ, & gloriam æternam justorum. Quis enim sanæ mentis, si firmiter credat, post hanc vitam dari aliam æternū duraturam, in qua ineffabilis, & interminabilis sit felicitas, in ejus locum vitam transituram, in qua vana solūm, & evanida felicitas, eliget studiosè, & ex consilio, velut iste? Unde Confessorius, velut prudens Medicus, debebat argutè & acutè in radicem morbi hujus sui Patientis inquirere, & si eum ex occulta hæresi prorupisse advertisset, scire, & judicare, an potestate eum absolvendi polleat, necne; pro quo servire possunt ea, quæ scripsi in Trismegisto Dist. 1. Cap. 3. Punct. 14. Gnaviter etiam poterat explorare alia, cum casu connexa, utpote observationem Præceptorum, præsertim Ecclesiasticorum; cùm

vitium Acediæ in tali homine sit propatu-lum.

CASUS II.

AMilia puella, vix octavum ætatis annum egressa, sed à nutrice pessimè seducta, adeò in arte veneficii profecit, ut multas, nedum coætaneas, verùm & veteranas, ac inveteratas, superarit. In eo autem artificio præ cæteris excellit, quod sciat intentionem suam tam dextrè efformare, ut nihil sacrum vel sanctum, aut in templo, aut extra, videat, vel audiat, quod non peculiari oblatione in honorem Asmodæi referat, ac dirigat. Huc præsertim Missæ sacrificia, hoc Communiones, hoc Confessiones, etiam aliorum à se visas, hoc orationes, hoc, quidquid demum sacro nomine notatur, dedicat juvencula Ministra Diabolica. Narratur hoc Confessario: quid ille?

RESOLUTIO.

Species facti detestabilis, utinam inaudita! adeò sollicitè honorem, soli DEO debitum, sibi arrogat stygius impostor. Patet evidenter ex relatione Casus, puellam hanc nequitiam, quam annis, majorem, deliquisse enormiter, dum toto affectu rationem Finis sui ultimi Diabolo per intentionem, tam exquisitam affigere & affingere laboravit. Deliquit enim peccatô odii &

in-

De ultima Voluntate Hominis Christiani &c. 43
invidiæ contra DEUM ; peccatô idololatriæ ; & peccatô mentalis sacrilegii. Porro hoc diabolicum artificium , cùm intra potentias internas conlummetur , puellam dedocere erit difficillimum , & nonnisi ab eo efficiendum , in cuius manu sunt hominum corda ; Confessarii tamen erit , imploratô DEI auxiliô , diligenter laborare , ut puella pœnitens intentionem suam in posterum dirigat ad unum verum DEUM , qui est ultimus finis omnium.

C A S U S III.

*B*Alduinus in Concione informatus , quomodo oporteat cunctis nostris operibus præmittere bonam intentionem , valde anxiatur scrupulis , putans se obligationi huic non satisfecisse , ex eo , quod nè quidem de nomine bonæ intentionis sibi consenserit . Et ideo accedit Confessarium , petens hac de re bonum consilium : quale dabit ?

R E S O L U T I O.

*C*Onfessarius Balduinum jubebit bono ef-36 se animo ; quod enim in Concione dictum , non ita intelligendum est , quod debeamus ante omnia opera singularem & singulariter præmittere intentionem , sed solùm ne ea ex prava intentione exerceamus ; quod

quod præceptum est negativum, obligans semper, & pro semper. II. Ut saltem aliquando in finem nostrum ultimum intendamus, ac media ad hoc congrua arripiamus; quod est præceptum affirmativum. III. Ut ubi tenemur ad opus aliquod virtutis, quæ tale est, illud ex motivo honestatis, saltem intrinseco ipsi exerceamus, sive dein illud motivum immediatè attingat ipsum DEUM, ut sit in virtutibus Theologicis, sive intra limites creatos consistat, ut sit in virtutibus moralibus: & sic rursus est præceptum affirmativum. IV. Ut si per aliquod opus mereri velimus præmium supernaturale, illud aliquo saltem modo in DEUM referamus, eò quod Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. illa solùm opera agnoscat esse æternæ vitæ meritoria, quæ in DEO facta sunt. Istud verò plerumque solùm est consilii, non præcepti, cùm nec ex Verbo DEI scripto, nec ex non scripto habeatur, teneri nos per singula nostra opera mereri. Ut autem habeatur formula Voluntatem nostram ad Finem ultimum ordinandi, sit

§. III.

§. III.

Praxis ultimæ voluntatis ad Finem
ultimum, sive

FORMULA BONÆ INTENTIONIS.

O Mi DEUS Omnipotens, Rex & Monarcha cœli & terræ, DEUS meus & omnia! Ego indignissimum plasma, & abjectissimus vermiculus tuus, ex recognitione supremi dominii, quod in me, ac universas res creatas habes, coram altissima Majestate tua usque in abyssum mei nibili prostratus, te tanquam meum Principium, & Finem ultimum adoro, laudo, & glorifico, in unione illius adorationis, laudis, & honoris, quem tibi in terris exhibuit Sanctissima Christi, unigeniti Filii tui Humanitas, ejusque Mater superbenedicta, MARIA Virgo sine labe concepta, cum tota cœlesti Curia, & omnibus justis, quotquot fuerunt, sunt, & erunt. Tibi me in servum consecro perpetuum, méque totum, cum corpore & anima, & cum omnibus potentiis in- & externis tibi offero; Volens, quantum in me est, ut omnes meæ operationes, mentis, & corporis, omne meum intelligere & velle, omnia verba, syllabæ, & litteræ, quas protulero, legero, scripsero, vel audivero, omnes motus, & pulsus cordis atque arteriarum, omnes gressus, halitus, & singultus, ac quidquid demum in me est, movetur, aut vivit; omnia, inquam, in æternam tuam laudem & gloriam cedant. Et quia hæc omnia nimis sunt exilia, ea simul,

simul, & quodvis ipsorum seorsim, cum omnibus Christi, B. Virginis, & universorum sanctorum aejusorum actionibus, passionibus, ac obsequiis, tibi hucusque præstitis, & per omnem debinc æternitatem præstandis unio, compono, & conjungo. Nil porro intellectus meus cogitet, nisi DEO servire; nil voluntas concupiscat, nisi DEUM amare; nil lingua loquatur, nisi DEO magnificum; nil sensus percipient, nisi DEO glorificum; nil corpus attentet, nisi pro DEO laborare; nil anima studeat, nisi DEO se adunare. Hoc unicum votum, hoc unicum desiderium, cum DEO, & DEO vivere; in DEO, & DEO mori. Hic primus, & ultimus totius vitæ meæ scopus, DEO servire; DEUM intelligere, & amare; DEO frui, hic in via, ibi in patria; nunc, & in perpetuas æternitates, Amen.

CAPUT II.

**De mediis internis
Ad Finem ultimum ultimæ voluntatis.**

§. I.

Expositio Doctrinæ Christianæ.

Punctum I. Quotuplicia sunt hæc media interna?

RE-

RESOL. Generaliter sunt duplia, ab 38
ipso Authore vitæ pro Viatoribus, ad
ultimum finem tendentibus, institu-
ta. Quædam, quæ sua solius esse voluit,
illis tamen certò modō applicanda. Quæ-
dam, quæ sua esse voluit, & nostra, ut po-
te DEI simul, & hominis cooperationem
exposcentia. Clarebit ex dicendis.

Punctum II. *Quænam sunt media interna, à
solo DEO dependentia?*

RESOL. Tria sunt, his nominibus com-39
prehensa: *Gratia vocationis, Gratia justificatio-
nis, & Gratia perseverantiae;* juxta illud Psal.
83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* De
primo medio meminit D. Petrus epist. I.
cap. 5. *DEUS autem omnis gratiæ, qui vocavit
nos in æternam suam gloriam in Christo JESU &c.*
De altero S. Paulus ad Tit. 3. *Benignitas, &
humanitas apparuit Salvatoris nostri DEI - - -
ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm
spem vitæ æternæ.* De tertio David Psal. 79.
*Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & su-
per filium hominis, quem confirmâsti tibi, & non
discedimus à te.* Primum medium est: com-
mune omnibus hominibus, quia est effe-
ctus voluntatis generalis, quâ DEUS vult
omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem ve-
ritatis venire. I. Timot. 2. & Christus ipse
Matth. 20. dicit: *Multi sunt vocati, id est,
omnes, secundùm communem expositio-
nem*

nem SS. Patrum, & Interpretum. Alterum medium non est comune omnibus hominibus; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, ait Psalmista Psal. 142. nec tamen est proprium solorum Electorum, quia non omnes semel justificati, annumerabuntur salvandis; cum Apostolus ipse moneat justificatos 1. Cor. 9. Nescitis, quod si, qui in studio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Tertium medium, si pro speciali dono perseverantiae accipiatur, proprium est Electorum tantum, & proximum, ac certissimum medium ad finem ultimum in beatitudine asequendum, juxta illud Salvatoris, Matth. 10. & 24. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Punctum III. Quae vero sunt media interna, partim à DEO, & partim ab homine dependentia?

40 RESOL. Universim sunt duo: Fides, & Opera, de quibus illud Psal. 83. Ascensiones in corde suo disposuit. De fide constat ex Apost. Heb. 11. Sinè fide impossibile est placere DEO; credere enim oportet accendentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. De operibus testatur S. Jacobus in sua Epist. cap. 2. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?

Pun-

Punctum IV. *An ergo gratia vocationis in nobis sit medium salutis prorsus sterile, nullumque effectum, ad quem nos ipsi cooperemur, habeat?*

RESOL. I. Gratia vocationis nullatenus est medium in nobis sterile, dummodo non cadat in terram sterilem, vel supra petram, & arescat, non habens humorem; nam de se dicit Apostolus 1. Cor. 15. *Gratia DEI sum id, quod sum; & gratia ejus in me vacua non fuit.* Etenim ad gratiam vocationis revocantur omnia auxilia gratiae, quibus homo interius excitatur ad fidem, & alia opera salutis, quibus pro sua libertate vel consentire potest, vel dissentiri; Unde nos idem Apostolus Ephes. 4. alloquitur his verbis: *Obsecro itaque vos ego vindictus in Domino, ut dignae ambuletis vocatione, qua vocati estis &c.* Et S. Petrus Ep. 2. cap. 1. *Sicut agite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Ne scilicet nobis improperari possit illud Proverb. 1. *Quia vocavi, & renui-
stis &c. ego quoque in interitu vestro ridebo.*

RESOL. II. Hæc gratia vocationis, licet sit communis omnibus, non tamen aequalis, sed amplior, & efficacior in uno, quam in altero; quod discriminem denotat Apostolus, dum quosdam dicit *vocatos secundum propositum*, veluti ad Rom. 8. alios item, ut observat Augustinus lib. 2. contr. duas Epist. Pelag. cap. 9. ubi ait: *Non enim omnes*

vocati, secundum propositum sunt vocati; quoniam multi vocati, pauci electi: ipsi ergo secundum propositum vocati, qui electi ante constitutionem mundi.

43 RESOL. III. Est igitur gratia vocatio-
nis, quâ voluntas nostra à DEO præpara-
tur ad fidem Divinitùs revelatorum intel-
lectui imperandam, & ad opera exercenda,
quibus se ad justificationem disponat, &
æternam vitam promereatur, ut apertè do-
cet Trid. cit. Sess. 6. cap. 5.

Punctum V. Estnè ergo dispositio quædam
ex parte hominis necessaria ad gratiam justifica-
tionis adipiscendam, & qualis?

44 RESOL. I. Licet ad justificationem par-
volorum nulla dispositio sit necessaria, quæ-
dam tamen necessaria est ad justificationem
adulorum, sive fiat per Sacramentum, sive
extra; est enim justificatio renovatio interio-
ris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ &
donorum, ait Trid. cit. Sess. cap. 7. quod cap.
præced. probat ex illo Joël. 2. Convertimini ad
me, & ego convertar ad vos; ubi clarè indica-
tur necessitas dispositionis præviæ.

45 RESOL. II. Ad gratiam justificationis
prærequiritur fides, non illa chimærica hæ-
reticorum, quâ quis certò credat sibi re-
missa esse peccata (quomodo enim crede-
re poterit jam remissa, si per fidem primùm
sint remittenda?) sed historica, quâ ex im-
pe-

perio voluntatis assentitur omnibus à DEO
revelatis; *Corde enim creditur ad justitiam*, ait
Apostolus ad Rom. 8.

RESOL. III. Præter fidem etiam ad ju-46
stificationis gratiam prærequiruntur opera
quædam voluntatis, non quòd per illa ho-
mo ipsam justificationis gratiam propriè
promereatur; dicimur enim justificati gra-
tis per gratiam ipsius, ad Rom. 3. sed solum-
modo, ut homo, qui per propriam volun-
tam à DEO suo fuit aversus, iterum per
propriam voluntatem ad ipsum revertatur.
Quòd enim necessaria sit spes, patet ex illo
Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata
tua.* Quòd timor, ex Eccl. 1. *Timor Domi-
ni expellit peccatum.* Quòd Pœnitentia de
peccatis, ex illo A&t. 2. *Pœnitentiam agite, &
baptizetur unusquisque vestrum in Nominе JESU
Christi in remissionem peccatorum vestrorum, &
accipietis donum Spiritus Sancti.* Quòd propo-
situm servandi mandata, ex Matth. ult. Ba-
ptizantes eos in Nominе Patris &c. docentes eos
servare, quæcunque mandavi vobis. Quòd de-
mum amor quidam initialis, seu voluntas
DEO serviendi, ex 1. Reg. 7. *Præparate cor-
da vestra Domino, & servite ei sōli.* Vide Trid.
Sess. 6. cap. 6.

Neque obstat, quòd Apostolus dicat ho-
minem justificari per fidem; quia ut habet
perpetuus Ecclesiæ sensus, hoc in eo sensu

intelligendum est, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere DEO, & ad filiorum ejus consortium pervenire, inquit Trident. cit. Sess. cap. 8.

Punctum VI. Quid ergo post adeptam justificationis gratiam est necessarium?

47 RESOL. I. Non est dubium, quin adhuc tæpius ab homine justificatio renovanda sit fides in DEUM Salvatorem nostrum; *Justitia enim DEI in eo revelatur ex fide in fidem,* sicut scriptum est: *Justus autem ex fide vivit,* inquit Apostolus Rom. 1. & sumpsit ex Habac. 2. repetens idem dictum ad Galat. 3. & ad Heb. cap. 10. Ad quod etiam faciunt Propositiones damnatae, quas ad idem intentum adduxi in Trismegisto Dist. I. Cap. 1. Punct. XII. ubi plura de hoc reperiri possunt. Sed nec sufficit sola renovatio fidei interioris, sed opus est eam etiam exterius verbô, vel factò profiteri, juxta illud Apostoli ad Roman. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem.* De quo rursus latè in eod. Trismegisto Dist. I. Cap. 2. per totum.

48 RESOL. II. Oportet etiam, ut justificatus se continuò exerceat in operibus virtutum, saltem per observationem mandatorum DEI, & Ecclesiæ. Ità Trident. cit. sess. 6. cap. 10. ità loquens: *Sic ergo justificati, & amici DEI, & domestici facti, eentes de virtute*

tute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem, per observationem mandatorum DEI, & Ecclesiæ. Et ratio est; quia secundum legem præsentem gloria cœlestis alter non datur justis adultis, quam ut corona, & merces bonorum operum in gratia factorum, ut præter alia indicat illud Apostoli 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die iustus Judex, & illud Eccli 18. Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces DEI manet in æternum.* Ergò deficientibus bonis operibus, nullus pertingit ad bravium gloriæ.

Punctum VII. *An etiam homo justus indigat gratiâ ad observationem mandatorum, & an illam semper præstò habeat?*

RESOL. I. Etiam homo justus indiget⁴⁹ actuali gratia, non tantum ad observationem mandatorum supernaturalis, sed etiam naturalis ordinis, universim, & per longum tempus continuandam. Patet ex Concil. Arausic. II. can. 10. ita decernente: *Adiutorium DEI etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Ratio verò est, quia considerata imbecillitate naturæ nostræ, & multitudine ac varietate tenta-

D 3 tio-

tionum, moraliter impossibile videtur, voluntatem semper manere in bono constantem, nisi altiori gratiae subsidio in eo confirmetur.

50 RESOL. II. Homini justo, saltē dum urget præceptum, semper adest gratia vel proximè, vel remotè sufficiens ad observationem mandatorum. Ità expressè Tridentinum cit. sess. 6. cap. 11. dicens: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet) DEI præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Et Innocentius X. damnans illam primam propositionem Jansenii: *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant. Patet; nam & mandata ejus gravia non sunt.* 1. Joan. 5. & qui sunt justi, Christum diligunt; qui autem diligunt, sermones ejus servant, ut ipse testatur Joan. 14. Unde & *DEUS suā gratiā semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur,* ut ait Trident. ibid. ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 26.

Punctum VIII. Sed quare dictum fuit: *gratia vel proximè, vel remotè sufficiens?*

51 RESOL. I. Ideo, quia non cuilibet, etiam justo, semper adest gratia proximè, & per se sufficiens ad vincendas tentationes, & mandata DEI observanda, ut perspi-

spicuē docet S. August. lib. 2. de peccat. merit. c. 19. ibi: *Intelligamus, si possumus, Dominum DEUM bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant, non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quā illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, quā det fructum suum terra eorum.* Et ideo Scriptura, Patres, & Concilia tanto fervore nobis commendant necessitatem sanctæ orationis, ut sciamus, petendum nobis esse, & pulsandum ad januam summi Regis pro ulterioribus gratiis, quibus legem DEI custodiamus, & peccata contra ipsam evitemus, obtinendis. Iste Christus Matth. 26. id docuit suos Discipulos, etsi pro tunc justos, dum dixit: *Vigilate, & orate, ne intretis in temptationem.* De quo plura dixi in Trismeg. Contin. Dist. 1. cap. 1. punc. 8. Interim

RESOL. II. Adest tamen justis semper, ⁵² dum urget præceptum, gratia sufficiens ad impetrandum ulterius auxilium, cum quo proximè possint & tentationes vincere, & legem implere; Nam, ut cum Augustino loquitur Tridentinum cit. sess. 6. cap. 11. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis. Itaque, cùm fortis urget tentatio, imitandum nobis est exemplum

Salomonis Sap. 8. dicentis: ut scivi, quoniam
aliter non possem esse continens, nisi DEUS det - -
adū Dominum, & deprecatus sum illum.

Punctum IX. An præter hæc justis sit quid
necessarium ad ultimatam sui Finis ultimi conse-
quutionem?

RESOL. Est enim verò necessarium eis
speciale perseverantiæ auxilium, ex defini-
tione Tridentini sæpe cit. sess. 6. can. 22. Si
quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio
DEI, in accepta justitia perseverare posse, vel
cum eo non posse, anathema sit. Illud enim,
quod dicitur Matth. 10. & 24. Qui persevera-
verit usque in finem, hic salvus erit, teste eod.
Trident. ead. sess. cap. 13. aliunde haberi non
potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat,
statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit,
restituere, nempe à DEO, ut dicitur ad Rom.
14. Unde de futura usque in finem perse-
verantia in statu gratiæ nemo sibi certi aliquid
absoluta certitudine pollicetur, subdit paulò
infrà S. Synodus cit. sicut enim sine speciali
revelatione scire nullus potest, se esse de
numero prædestinatorum, velut idem Con-
cil. d. sess. cap. 12. & can. 15. definivit; ita
nec citra speciale revelationem scire po-
test, se in statu gratiæ permansurum, vel
magnum illud usque in finem perseverantiæ donum
se certò habiturum, uti sub iterata anathema-
ris pœna dici prohibet S. Synodus citata
can. 16.

Pun-

Punctum X. An ergo non omnes justi habeant auxilium sufficiens, ut in accepta justitia perseverare possint, ad finem usque?

RESOL. I. Habent omnes auxilium sufficiens, vel proximè, vel remotè, ut perseverare possint, si velint. Christus Dominus enim sub pœna æternæ damnationis præcipit omnibus justis in persona Apostolorum perseverantiam in justitia & charitate *Joan. 15.* dicens: *Manete in me, & ego in vobis;* sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis - - si quis in me non manserit, mittatur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Frustra autem præciperet, nisi possibilitatem perseverandi haberent; quia ad impossibile nulla obligatio.

RESOL. II. Nihilominus consideratis omnibus præsentis vitæ circumstantiis, necessarium est etiam speciale auxilium, quô DEUS non tantum det, ut perseverare possimus, si velimus, sed etiam, ut velimus, & actu perseveremus, impertiatur. Necesitatem specialis auxilii jam ex Tridentino Punct. præced. ostendimus; radicem verò necessitatis hujus, & simul qualitatem ejus auxilii pulchrè depingit D. August. lib. de corr. & grat. cap. 12. inquiens: *Quod si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infir-*

D 5

mi-

mitate propter elationem reprimendam perfici vir-
tutem oporteret, hominibus relinqueretur volun-
tas sua, ut in adjutorio DEI, sine quo perseve-
rare non possent, manerent, si vellent; nec DEUS
in eis operaretur, ut vellent: inter tot & tantas
tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumbe-
ret; & ideo perseverare non possent, quia defi-
ciente infirmitate sua nec vellent, aut non ita vel-
lent infirmitate voluntatis, ut possent.

Punctum XI. Quid igitur homini in tanta
incertitudine suæ finalis perseverantiae faciendum?

56 RESOL. Duo nobis inculcant Sacrae
Litteræ, & Concilium Tridentinum, scili-
cet Sperare, & Timere. Nam ecce oculi Domi-
ni super metuentes eum; & in eis, qui sperant su-
per misericordia ejus. Psal. 32. Et Concilium
cit. sess. 6. cap. 13. docet, quod in DEI auxi-
lio firmissimam spem collocare omnes debent;
DEUS enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut
cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, &
perficere, juxta Apostolum ad Philipp. 1. & 2.
Veruntamen, subdit, qui se existimant stare, vi-
deant ne cadant, & cum timore ac tremore salu-
tem suam operentur (secundum monitum D.
Pauli cit. cap. 2. ad Philipp.) in laboribus, in
vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & obla-
tionibus, in jejuniis, & castitate; formidare enim
debent, scientes, quod in spem gloriæ (1. Pet. 1.)
& nondum in gloriam renati sunt &c. Obtem-
perandum igitur Apostolo ad Rom. 8. dicen-
ti;

ti: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Punctum XII. *Quid vero, appropinquante mortis hora, homini agendum? Vel quomodo tunc ad Finem ultimum tendendum?*

RESOL. Tres sunt potissimum obligations Hominis Christiani morientis (ait noster eruditissimus P. Petrus Marchant, tom. 3. Tribun. Sacr. Tract. ult. tit. 1. q. 2.) nimurum Ponderatio presentis vitae; Purgatio accusantis conscientiae; & Dispositio imminentis viæ. Ponderatio presentis vitae, ut attendat homo, qualiter vixerit, vivat, & in reliquo vietur sit: Purgatio accusantis conscientiae, ut à peccatis, & à debito pro eis satisfaciendi, vel satispatiendi liberetur; Dispositio imminentis viæ, ut de viatico, & salvo conductu sibi provideat. De his omnibus Scriptura: De primo Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. De secundo Job. 10. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum &c. De tertio Amos 4. Preparare in occursum DEI tui Israël.

Punctum XIII. *In quo ergo consistat Ponderatio presentis vite?*

RE

58 RESOL. Consistit in diligenti, & moraliter possibili examine Conscientiæ super vita anteacta, & præsente statu suo, ut nimirum homo quisque diligentius se excutiat, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploret, prout exigit Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* ad agendam dignam de peccatis suis pœnitentiam. Quod tamen de peccatis necdum confessis, vel non cum debito dolore, aut proposito, confessis intelligendum; nam de reliquis, etsi nullus absque revelatione Divina omnimodam certitudinem habere possit, quod sibi remissa jam sint (cum possibile sit occultum quendam defectum vel ex parte Confessarii absolvantis, vel ex parte pœnitentis Confessi latuisse) poterit in Domino confidere, quod jam fuerint deleta, & remissa.

Punctum XIV. Qualiter fieri debeat hæc finalis Purgatio Conscientiæ?

59 RESOL. I. Finalis Purgatio Conscientiæ tria desiderat juxta Authorem cit. nempe ut homo se perfectè componat *cum DEO, cum proximo, & secum ipso.* Cum DEO quidem per obtentionem remissionis suorum peccatorum quoad reatum culpæ, & pœnaru[m]: cum proximo per depositionem omnis inimicitiæ, satisfactionem pro injuriis, & restitutionem pro damnis: secum ipso per ex-

exclusionem omnis malæ voluntatis, & propinquæ occasionis peccandi.

RESOL. II. Ad obtainendam remissio-⁶⁰
nem peccatorum necessaria est Pœnitentia;
quæ quidem respectu Christiani hominis
post lapsum continet non modò cessationem à
peccatis, & eorum detestationem, aut cor contri-
tum, & humiliatum, verùm etiam eorundem Sa-
cramentalē Confessionem, saltem in voto, & suo
tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutio-
nem; itēque satisfactionem per jejunia, eleemo-
synas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exer-
citia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sa-
cramentō, vel Sacramenti votō unā cum culpa re-
mittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ litteræ
docent, non tota semper, ut in baptismo fit, di-
mittitur illis, qui gratiæ DEI, quam acceperunt, in-
grati Spiritum Sanctum contristaverunt, & tem-
plum DEI violare non sunt veriti. Ità Tridentinum cit. Sess. 6. cap. 14. De Confessione pro
Articulo mortis dicemus cap. seq. De Con-
tritione autem

RESOL. III. Certum est, quòd ubi pos-⁶¹
sibilitas Confessionis Sacramentalis deest,
ad remissionem mortalium necessaria sit
contritio perfecta, cùm imperfecta sinè Sa-
cramento Pœnitentiæ per se ad justificationem per-
ducere peccatorem nequeat, ut expressè Tridentinum
Sess. 14. cap. 4. & S. Joannes Ep. 1. c. 3.
Qui non diligit, manet in morte. Imò nec ipsa
per-

perfecta contritio vim reconciliationis cum DEO in moderna lege habet, nisi quatenus votum ipsius Sacramenti in se includit eodem Concilio ibi attestante, & quatenus cum proposito non peccandi de cætero, quod etiam contritioni imperfectæ inesse debet, est conjuncta. Sed supposita etiam possibilitate confitendi, adhuc moribundus ad perfectam Contritionem conniti debet, saltem si durante eo statu, præcepto Dilectionis DEI super omnia, quod tunc urge re, in *Trismeg. Dist. 3. cap. 1. n. 240.* resolvi, nondum satisfecerit: tum quia gravissimi Doctores, quos in *Part. 3. Theol. Sacram. cap. 2. num. 175.* citat P. Sporer, attritionem etiam cum Sacramento pro tunc judicant insufficientem, adeoque lex charitatis propriæ exigere videtur, ut in tali articulo viam moribundus incedat tutiorem. Tum quia etiam præceptum Charitatis DEI hoc videtur requirere, ut se certiorem de reconciliacione cum DEO reddat: tum quia alijs maximum foret periculum, ne dolor talis moribundi, nolentis se per actum charitatis ad DEUM convertere, merè foret naturalis, sicque per se ineptus ad dispositi onem Sacramentalem.

62 - RESOL. IV. Quod & reliqua, quæ compositionem cum proximo, & secum ipso concernunt, sint necessaria, inde claret;

ret; quia sine eis verus supernaturalis dolor, & consequenter remissio peccatorum subsistere non potest. Unde Luc. 6. dicit Christus: *Dimitte, & dimittemini* - - *eadem quippe mensurā, quā mensi fueritis, reme-*
tietur vobis. Item: *Diligite inimicos vestros* - -
& eritis filii Altissimi. Et DEUS apud Eze-
 chiel. c. 33. Si autem dixero impio: morte moriēris; & egerit pœnitentiam à peccato suo, fe-
 ceritque judicium & justitiam, & pignus restitue-
 rit ille impius, rapināmque reddiderit, in manda-
 tis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam inju-
 stum, vitâ vivet, & non morietur. Et Joan. 5.
 Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius
 tibi aliquid contingat.

Punctum XV. *Quomodo fieri debeat di-*
spositio imminentis viæ?

RESOL. I. Hæc per Authorem cit. tria 63
 exigit, scilicet I. Dispositionem familie suæ, &
 domūs, quam relinquit. II. Provisionem necef-
 sariorum ad viam, quam assumit. III. Salvum
 conductum contra prædones, quibus occurrit.
 Potest probari ex Scriptura; nam ad pri-
 mum facit illud Isaiæ ad Regem Ezechiam
 ægrotantem: *Dispone domui tuæ; quia moriē-*
ris tu, & non vives. Isa. 38. Ad secundum
 facit illud Apostoli 1. Cor. 1. *In omnibus di-*
vites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni
scientia - - ita ut nihil vobis desit in ulla gratia,
expectantibus revelationem Domini nostri JESU
Chri-

Christi. Ad tertium illud Psalmistæ Psal. 90.
Quoniam Angelis suis mandavit de te , ut custo-
diant te in omnibus viis tuis - - super aspidem
& basiliscum ambulabis , & conculcabis leonem
& draconem.

64. RESOL. II. Dispositio familiæ & domûs
potissimum consistit in duobus , scilicet in
legitima ordinatione Testamenti , de quo in seq.
Dist. & in religiosa valedictione ab hoc sâculo ;
ad quam plurimùm conferre potest , si di-
scordias , forsitan in familia enatas sedave-
rit , eandem ad pacem cum DEO & inter
se habendam excitaverit , piæ ac generosæ
mortis exemplum ei reliquerit ; ac tandem
oculos ad cœlestem Patrem erigens , exem-
plô Christi in hunc vel similem modum
eandem commendaverit : *Pater sancte , serva*
eos in nomine tuo , quos dedisti mibi . Ego pro eis
rogo , non pro mundo rogo , sed pro his , quos de-
disti mibi , quia tui sunt ; & mea omnia tua sunt .
Joan. 17.

65. RESOL. III. Provisio necessariorum ad
viam æternitatis consistit in his tribus :
I. In assecuratione & confortatione anime per
Sacramenta Pœnitentiæ , Evcharistia , &
Extremæ Unctionis ; de quibus in cap. seq.
II. In Baculo fiduciæ erga DEUM , & Chri-
stum Redemptorem . III. In viatico bo-
norum operum . Primi figuram nobis de-
dit Elias , qui pane subcinericio (per quem
Ev-

Eucharistia significatur) & aquâ (per quam Pœnitentia, & lacrymæ doloris figurantur) refectus, in eorum fortitudine ambulavie usque ad montem DEI, ut narratur 3. Reg. 19. In secundo exultavit Vates Regius Psal. 22. *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Ad tertium nos exstimulat Christus ipsemet Luc. 12. *Vendite, quæ possidetis, & dante eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis -- ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.*

RESOL. IV. Salvus conductus in hac⁶⁶ via ad patriam consistit in cœlesti Comitatu Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis, & SS. Patronorum ad hoc electorum, uti & in armatura Fidei, Spei, Charitatis, Justiciæ, & aliarum Virtutum, quarum actus, & affectus in eo articulo specialiter sunt eliciendi; nec non in gladio orationis tūm propriæ, tūm aliorum pro se. Eiusmodi comitatum filio suo itineranti in Rages precebatur Tobias Tob. 5. dicens: *Bene ambule, & sit DEUS in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum;* & quām multūm ei profuit unius Angeli societas! quantò magis in itinere ad æternitatem, ubi dæmones cunctas vias obsident ad capiendam prædam?

E

dam?

dam? Porro spiritualem armaturam illam verbis patheticis recomendat Apostolus ad Ephes. 6. dicens: *Induite vos armaturam DEI, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi reges tenebrarum harum.* Et post pauca: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induit loricam justitiae, & calceati pedes in preparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritus - per omnem orationem & obsecrationem orantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis, & prome &c.*

§. II.

Praxis Confessoriorum circa expostam Doctrinam.

CASUS I.

CETHURA periculose decumbens refert Confessario anxietatem suam, quam habet de futuro vitaे suæ fine. Causam hanc reddit, quod quidem reflectere se non possit, aliquando omisisse gravius quoddam peccatum in Confessione, sciat tamen dolorem suum aliquando fuisse satis tepidum & remissum; & alias DEO suo valde segniter serviisse, negligendo multa bona, quæ facere potuisset. Et ideo

ideo se dubitare, utrum DEUS, illo non obstante, sit sibi propitius futurus in secuturo fine, & cum gratia sua adstiturus. *Quid illi Confessarius?*

RESOLUTIO.

Confessarius ei dicet hanc curam esse su-⁶⁷ perfluam; non enim homini curandum est, quid DEUS de eo sit facturus, sed an ipse præstiterit, vel præstare paratus sit omne id, quod faciendum DEUS ab ipso exposcit. Hoc pro certo habendum, quod DEUS velit omnes salvos fieri, & nullum deserat, nisi prius ab eo deseratur. Hinc si Cethura conscientiam suam nullo peccato mortali gravatam, post diligens examen senserit, signum est, beato fine perfunctum, si tamen fiduciam suam in DEO repulerit, & de præhabita diffidentia pœnitentiam egerit. Nam quod dolor aliquando fuerit tepidus & remissus, sufficientiam ejus non collit, cum nullibi requiratur certa intensio doloris, sed sola substantia, quæ etiam in minimo gradu reperitur, uti habet communissima Theologorū cum P. Sporer p. 3. *Theol. Sacram. cap. 2. num. 109.* Minus requiritur dolor sensibilis, ex cuius forte dese~~su~~ orta est illa habitus doloris insufficientis suspicio. Quod porro concernit neglectum honorum, videndum, an fuerint

opera præcepti , vel tantum consilii ; si præcepti , utique agenda de eo pœnitentia : si verò tantum consilii , id necessarium non est. Quia tamen in multis offendimus omnes. Jac. 3. quæ sèpe nos latent ; ideo suggerendum ei , ut corde contrito , & humiliato dicat cum Psalte regio : Delicta juventutis meæ , & ignorantias meas ne memineris. Psal. 24.

CASUS II.

Demetrius studiosus confitetur , se nuper solum , cùm Sacerdos tam citò haberi non posset , adstitisse suo sòcio , lethaliter vulnerato , & jam animam agenti ; cùmque in similibus nullam haberebat praxin , nihil nisi invocationem Sanctissimorum Nominum JESU , & MARIÆ , ei acclamâsse ; dubitare proin , an charitati fraternæ , suóque officio , quod gerit ut homo Christianus , satisfecerit ?

RESOLUTIO.

¶ **D**emetrius , per se loquendo , non satisfecit ; vera enim ad mortem præparatio non in nuda invocatione horum Sanctissimorum Nominum , sed potius in fide viva , spe firma , charitate ardenti , & contritione perfecta consistit ; qui quidem actus homini necdum justificato sunt necessarii ne-

necessitate medii ad salutem; justificato autem, excepta contritione perfecta, saltēm necessarii necessitate præcepti, prout in meo Trismegisto latius exposui. Præser-tim etiam seria cordonatio graviſſimæ in-juriæ ab inimico acceptæ, intimanda fuif-set, utpote quæ ſepius deet in istis circum-ſtantiis, cum tamen ad salutem ſit neceſſaria, juxta illud: *Dimittite, & dimittemini.* Luc. 6. vide dicta num. 62. Dxi: non in nuda invocatione Sc.; ſi enim invocatio Sanctissimi Nominis JESU fiat cum ardenti af-fectu in Christum Dominum, ſanè omnes supradicti actus ad eam concurrunt; actus fidei, quô in JESUM Christum, DEUM & hominem, imò in totam Sanctissimam Tri-nitatem credi ur: nam ut Theophilactus loquitur in cap. ult. *Lucæ, Christi nomen in ſe continet & Patrem inungentem, & unctionem Spi-ritum, & undum Filium.* Actus ſpei, quô ſperatur venia peccatorum ex vi & effica-cia meritorum, & Redemptionis Christi Domini; cui actui præſupponitur fides in DEUM bonorum remuneratorem, & malo-rum vindicem. Actus charitatis, ex cuius imperio illa invocatio procedit. Et actus contritionis, qui in homine peccatorum ſuorum memore cum actu charitatis mora-liter neceſſariò connectitur, uti & remiſſio injuriarum proximi. Et de tali invocatio-

ne intelligendum illud Rom. 10. Omnis, qui cunque invocaverit Nomen Domini, salvus erit. Et Act. 4. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Hoc saltem piè confidere & sentire possumus de Domino in bonitate, quod interna inspiratione sua defectum suggestoris externi jam suppleverit.

CASUS III.

Eberhardus Lutheranus, opificii causâ in urbe Catholica commoratus, ibidem lethali morbo opprimitur, adeò ut Medicus de ejus reconvalescentia desperârit. Igitur R. D. loci Parochus, & Paterfamilias, de æterna ipsius salute, ut par erat, solliciti, accersunt duos PP. Franciscanos, qui ægrum ad veram fidem, & beatam mortem disponerent. Accurrunt illi, & cum eundem penitus renitentem cernerent, utpote qui identidem illud Apostoli: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiae &c. reponebat; ambo in id incumbunt, an saltem mori velit in fide, quæ unicè est salvifica, ita, ut si sciret, vel agnosceret, eam esse Catholicam, vellet in ista mori? Ita, reposuit ægrotus. Tunc unus ei suggestit actum fidei; eodem modo de spe, & charitate; similiter de contritione perfecta: post quam interrogavit, an etiam vellet accipere absolutionem à tali Ministro, qui beat

beat absolvendi à peccatis ipsius potestatem? Et quia etiam hic affirmando respondit, dedit eam ex communi amborum consilio sibi conditione, si sis dispositus. Et ecce! quæ virtus istorum actuum! Eberhardus altera die eosdem Patres sua sponte ad se revocavit, Professionem fidei Catholicæ, & dolorosam confessionem depositit, & sacro Viatico referitus, sanctoque oleo inunctus fuit; post quæ præter spem omnium de die in diem melius se habuit etiam quoad salutem corporalem, integræque sanitati restitutus, etiam publicè fidem Catholicam confessus fuit; in qua, ut spero, adhuc hodie dum optimè consolatus vivit. De rei totius serie testis sum vice non per omnia oculatus. Solùm hic queritur, an dicti Patres bene processerint?

RESOLUTIO.

ADHUC judico, quod bene, DEO ipso per tam mirificos effectus factum ipsorum approbante. De actibus Virtutum Theologicarum, quod sic instructi, fuerint sufficietes, non est dubium: absolutionem verò quod concernit, eam rectè fuisse, & quidem sub conditione impertitam, ex simili casu videri potest apud Caramuelem in Theol. fundam. fundament. 46. à num. 2040. ex quo descripsit, suumque assensum addidit P. Gobat Theol. experim. tr. 7. cas. 19. num. 622. & seq. Ratio est; quia in actu contritionis,

nis, præsertim ubi explicitè adjecta fuit voluntas servandi omnia mandata DEI, jam inclusa fuit confessio virtualis: imò confessio etiam formalis aderat, licet non materialiter integra, & specifica, cuius necessitatem homini, in principiis Lutheranis enutrato, tam citò persuadere, fuit moraliter impossibile: consequenter habebantur saltem essentialia Sacramenti.

§. III.

Armatura Fortium,
Seu Actus Virtutum vel necessarii,
vel utiles pro agone ultimo.

SCUTUM FIDEI.

Hujus affectus formam prolixiorem dedi in Trismegisto *Dist. 1, cap. 1. num. 38.* Quod si tempus non permittat, hunc substitue:

70 *O mi DEUS, credo te esse, qui es, unus, verus, in Personis trinus, sumemè justus, & misericors Deus, Prima, & infallibilis Veritas; propter quod credo etiam omnia, & singula, quæ per Ecclesiam credenda proponis.*

GALEA SPEI.

Hujus quoque actus longior formula existat in eod. Trismeg. *dist. 2. cap. 3. n. 216.* Brevior potest esse hæc.

O DEUS meus, spero in tuam infinitam boni-71
tatem, & misericordiam, ab ea me consecuturum
gratiam in praesenti, & gloriam in futuro, per me-
rita & Passionem D.N.J.C. quia verbum tuum pe-
ribit nunquam.

PHARETRA CHARITATIS.

Formulam istius etiam exhibui in citat.
Trismegisto dist. 3. cap. 1. num. 261. cui, si
prolixa nimis, poterit haec substitui.

Amo te, O DEUS, quia infinitè amabilis, & 72
Summum Bonum es, paratus pro tuo amore dare
vitam & sanguinem. Amo etiam omnem prox-
imum meum propter te, sive amicus sit, sive inimi-
cus, & ex tui amore cordetenus remitto omnem
injuriam, & offensam, si qua mihi à quocunque
demum illata sit.

LORICA JUSTITIAE, SEU CONTRITIONIS.

O Quantum tibi debo, benignissime DEUS, qui 73
me ex nibili in imaginem & similitudinem
tuam creasti, tuo proprio sanguine redemisti, & tua
gratiā non semel, sed toties sanctificasti, ac omni
momento tuis gratiis cumulasti. Sed quid ego red-
didi pro his omnibus? Ab miserum me! nil nisi quo-
tidianas offensiones. Quocirca pœnitet me ex to-
to corde propter te, summum & infinitum Bonum
à me offensum. O Domine miserere mei, & re-
fusca me. Jam nolo amplius peccare. Interim
ego in satisfactionem meorum delictorum offero ti-
bi amarissimam Passionem, omnesque satisfactiones

E 5

Cbrī

Christi, Filii tui amantissimi, uti & Beatissimae Virginis, & omnium Sanctorum.

**SUCCINCTIO LUMBORUM PER DESIDERIUM
VIDENDI IDEUM, ET CALCEATIO PEDUM PER
CONTEMPTUM MUNDI.**

74 **O** Domine, quid à te volui super terram? Tu ultimus finis meus; alia omnia, quæ super terram sunt, nil nisi media, quibus bene & male uti possumus; & utinam nunquam usus fuissim male! Igitur quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Veni o unicum vite meæ desiderium! in Te uno satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Heu me! quam sordet mihi terra, dum cælum aspicio!

GLADIUS SPIRITUS IN ORATIONE.

75 **D**omine, ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Intret in conspectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam. Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Erue à framea DEUS animam meam, & de manu canis unicam meam. Salvum fac servum tuum, DEUS meus sperantem in te. Confundantur, & revereantur, qui querunt animam meam. Ego autem in Domino gaudabo, & exultabo in DÉO JESU meo.

Hæc est armatura, quam insinuat Div. Apostolus in verbis ad finem primi §. allegatis, quæ utique plurimum adhuc virtutum acti-

aetibus, uti Humilitatis, Patientiae, resignationis in Divinam voluntatem &c. augmentari potest; sed quia haec pagellae non omnes admittunt, eos relinquo spiritui zelosorum assistentium.

CAPUT III.

De mediis externis perveniendi ad eundem Finem ultimum.

§. I.

Expositio Doctrinæ Christianæ.

Punctum I. Quæ, & quot sunt media externa propinquiora, per quæ ad ultimum finem pervenitur?

RESOL. Sunt tria moribundorum sacramenta, scilicet Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, tales inter se ordinem habentia, ut primum spectet ad viam purgativam, utpote per se institutum ad purgandam animam à maculis peccatorum mortaliū. Alterum ad viam illuminativam, quia institutum ad nutrimentum animarum, consistens in gratia ad virtutes provocativa. Tertium, præ-

sup-

suppositō secundō , ad viam unitivam , quia hominem, cum Christo per SS. Evcharistiam jam unitum , emundatione à reliquiis peccatorum , proximè expeditum reddit ad accipiendam unionem cum DEO , Fine suo ultimo. De his , quantum ad præsens pertinet , breviter.

Punctum II. An , quis , & quo jure teneatur , appropinquante vitæ termino , uti Sacramentum Pœnitentiæ ?

77 RESOL. I. Quilibet homo baptizatus , qui post acceptam regenerationis gratiam DEUM novo peccato mortali offendisse se meminit , appropinquante vitæ termino , vel animadverso probabili mortis periculo , tenetur ipso Jure Divino ad impetrandam cum DEO reconciliationem uti Sacramentum Pœnitentiæ , per dolorosam illius Confessionem , si non antea confessus fuerit. Ratio est patula ex Concilio Tridentino ; Licet enim Pœnitentia , ut ait sess. 14. cap. 1. fuerit universis hominibus , qui se mortali aliquo peccato inquinassent , quovis tempore ad gratiam & justitiam assèquendam necessaria ; postquam tamen Dominus à mortuis excitatus , insufflans in discipulos suos , per illa verba , *Accipite Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata &c.* Joan. 20. instituit Sacramentum Pœnitentiæ , universa Ecclesia semper intellexit (ita pergit cap. 5.) institutam etiam esse à Domino

mino integrām peccatorum Confessionem, & omni-
bus post baptismum lapsis Jure Divino necessariam
existere. Atqui hujus Juris & necessitatis
tempus neque congruentius, neque urgen-
tius assignari potest, ex communi Theolo-
gorum calculo, ipsiusque rationis dictami-
ne, quam articolus, vel probabile pericu-
lum mortis: Ergo. Nempè, ut monet Ec-
clesiasticus cap. 14. *Ante obitum tuum opera-*
re justitiam; quoniam non est apud inferos inve-
nire cibum.

RESOL. II. Eis, qui post acceptam re-78
generationis gratiam in mortale lapsi sunt,
& usque huc nondum erecti, etiam neces-
sitate medii ad salutem necessarium est, &
sufficit, Sacramentum Pœnitentiæ, aut ejus
votum. Ita rursus Tridentinum, cuius ver-
ba cit. Sess. 14. cap. 2. sunt hæc: *Est autem hoc*
Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad
salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse
baptismus; sed nondum regeneratis necessa-
rius necessitate medii ad salutem & suffi-
cients est aut ipse baptismus, aut ejus vo-
tum, per verba ejusdem in sess. 6. cap. 4. sci-
licet: quæ quidem translatio (intellige, in sta-
tum gratiæ, & adoptionis filiorum DEI) post
Evangelium promulgatum, sinè lavacro regene-
rationis, aut ejus voto fieri non potest. Ergo
etiam lapsis post baptismum eodem modo

ne-

necessarium est, & sufficiens Sacramentum
Pœnitentiæ.

Hoc solum pro instruendis simplicibus advertendum, quod per votum Sacramenti non intelligatur simplex propositum, vel desiderium suscipiendi Sacramentum; nullibi enim huic invenitur à DEO promissa remissio peccatorum, nisi inclusum sit in actu contritionis perfectæ, ubi homo memor est suorum peccatorum; vel saltem in actu dilectionis DEI formalis, quæ comprehendit voluntatem observandi omnia DEi mandata, consequenter etiam hoc propositum; & ideo sufficit saltem in homine, actu immemore suorum peccatorum.

79. RESOL. III. Etiamsi quis per Sacramentum in voto justificationem jam fuerit consecutus, adhuc ex Divino præcepto tenetur Sacramentum Pœnitentiæ, si possit, re ipsa suscipere. Ratio; Quia Concilium, ubi cap. 5. suprà ait institutam esse à Domino integrum peccatorum Confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure Divino necessariam; subdit rationem: Quia Dominus noster JESUS Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate Clavium remissionis, & retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Ex quo infertur, quod

quod licet DEUS homini peccatori perfectè ad ipsum converso *in suo foro condonet peccata*, dicendo: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, Luc. 7. præter hoc tamen voluerit eadem peccata ad Sacerdotes suū Vicarios tanquam Judices deferri, ut pro potestate Clavium, quam commisit suæ Ecclesiæ Matth. 16. etiam *in foro ipsius sententia de ipsis pronuntietur*. Imò ex hoc ipso, quod DEUS peccata remittat intuitu voti suscipiendi Sacramentum, censetur ea remittere non omnino absolute, sed *sub modo*, id est, onere, obligatione, & quasi tacito pacto illud suscipiendi, quod tamen justificatio ipsa nullatenus suspendatur. Vide Laymannum *Theol. Mor. lib. 5. tract. 5. cap. 3. n. 4.* & citatos apud ipsum.

Punctum III. *An ergo Pueri, & adulti, solis venialibus obstricti sint exleges à Confessione Sacramentali, etiam in extremo confitu peragenda?*

RESOL. I. Per se sunt exleges quantum ad istam obligationem, cum Jus Divinum, interpretante Sacra Synodo citata, aperte sola peccata mortalia ad Tribunal Sacramentale vocet; Jus verò Ecclesiasticum nihil circa Confessionem in articulo mortis disposuerit, nisi de Medicis ad infirmum vocatis, ut ante omnia eum adducant ad Confessionem; alias arcendi ab ingressu

Ecc-

Ecclesiæ usque ad congruæ satisfactionis tempus, cap. cùm infirmitas 13. de pæn. Et remiss. Insuper, ut desinant visitare infirmum, si post tres dies monitus de gravitate morbi, Sacramentalem Confessionem suorum peccatorum non fecerit; prout statuit S. Pius V. in Constitut. super Gregem Domini, de An. 1566. Quinimmò Ecclesia ipsa Legem suam de Confessione annua nonnisi de peccatis mortalibus intelligit, ut habet unanimis Theologorum consensus.

81. RESOL. II. Est tamen generalis usus, & pia universalis Ecclesiæ hodiernæ consuetudo, ut indiscriminatim adulti omnes, etiam pueri doli capaces, ut plurimum ipsi petant, vel, dummodo rationis compotes habeantur, omni admoto lapide adducantur & disponantur ad Confessionem Sacramentalem ante obitum peragendam; nec alias refici soleant Sacrō Viaticō: etiamsi certum sit, millenos esse, qui pro tunc nullum peccatum mortale habeant, forte nec habuerint, perseveranter justi. Hujus verò consuetudinis rationabilitas emicat præsertim ex duobus. I. Quia revera nescit homo, utrūm amore, an odio dignus sit. Eccl. 9. quām facile enim contingit, ut quis peccaverit etiam graviter per ignorantiam vincibilem, quod nunc non agnoscit? vel licet peccaverit sciens, modò tamen non recorde-

detur? Unde si nunc de solis venialibus doloreret, æstimans sufficere attritionem, deficiente auxilio Sacramenti periret: quod si verò accedit Sacramentum, dummodo motivum doloris etiam ad mortalia se extenderit, indirectè etiam ab istis absolutus, salvatur. II. Quia etsi careat culpâ mortali, non tamen caret fructu Sacramenti; nam præter remissionem venialium, de quibus dolet, quoad culpam, accipit etiam gratiæ sanctificantis augmentum, jus ad gratias actuales, aliquam remissionem poenæ temporalis pro illis debitæ, & hæc omnia ex opere operato; ac dein fructum suæ humiliationis, poenitentiæ, ac devotionis ex opere operantis. Et hinc

RESOL. III. Nisi manifestè constet, ali 82 quem esse mentis impotem, & spiritualium doctrinarum penitus incapacem, aut ita refractarium, ut etiam Sacramenti hujus necessitatem & efficaciam pertinaciter abneget, hujus ultimi conflictus tempore, semper ad absolutionem saltem sub condizione recipiendam disponi debet; quia causa adest necessitatis & utilitatis maximæ, irreverentia Sacramenti verò per condicionem adjectam abstergitur. Non expectet Pastor, donec solicitetur. Ipsemet ovem graviter infirmaram etiam non rogatus visitet, & ad Confessionem deponendam.

F

omni

omni possibili suadâ adhortetur. Esto, dicat Passevinus, non teneri Parochum sua sponte venire, nisi quando probabile est, si Sacra menta offerat, receptum iri; eò quia præceptum hoc obliget ad modum correctionis fratrnæ, & (ut addit Gobat tract. 1. Theolog. Experim. num. 106.) nulla lex obliget ad actionem inutilem, cap. 2. dist. 4. Hæc te non moveant, bone Pastor; nam alia est regula correctionis communis inter fratrem & fratrem, alia correctionis specialis inter Patrem & filium, ovem & Pastorem. Audi, qualem huic præscribat S. Paulus 2. Tim. 4. *Prædica verbum, inquit, in ista opportunitate, importunè; argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina; erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desidersa coacervabunt sibi magistros prurientes auribus &c.* (ut sunt mundus, caro, dæmon, falsus amor sui &c.) *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* Audistin? Etiamsi æger obstinatus sanam doctrinam non sustinebit; etiamsi à veritate auditum avertet; ad fabulas autem convertetur; *Tu nihilominus vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple.* Ne timeas, quod actio tua sit futura inutilis; si enim te audiérerit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18. si vero te non audiérerit, dic cum Jeremia cap. 51. curavimus Babylonem, & non est

*est sanata, derelinquamus eam, - - quoniam
pervenit usque ad cœlum judicium ejus. Certi
estote, quia labor vester non est inanis in Do-
mino. 1. Cor. 15. sed merces vestra multa est in
cœlis. Luc. 6.*

Punctum IV. *Cui è mundo discessurus de-
beat confiteri?*

RESOL. I. Debet confiteri Sacerdoti,⁸³
hic & nunc jurisdictionem fori Sacramen-
tal is in ipsum habenti. Hæc est resolutio
generalis, & de fide; nam quòd debeat esse
Sacerdos, contra perversam Lutheri doctri-
nam definivit Sac. Tridentinum Concil. cit.
Sess. 14. cap. 6. illis verbis: *Declarat sancta Sy-
nodus, falsas esse, & à veritate Evangelii penitus
alienas doctrinas omnes, quæ ad alias quosvis ho-
mines, præter Episcopos & Sacerdotes, Clavium
ministerium perniciose extendunt.* Quòd autem
jurisdictionem hujus Sacramentalis fori in
eum, qui confitetur, habere debeat, patet
ejusd. *Sess. cap. 2.* ubi S. Synodus unam ex
præcipuis inter Baptismi & Pœnitentiæ Sa-
cramenta differentiam declarat esse hanc,
quòd Ministrum posterioris oporteat esse
judicem, non verò Ministrum prioris: idem
cap. 5. & cap. 6. docet, quòd absolutio Sacer-
dotis non sit solum nudum ministerium,
sed ad instar actus judicialis; Atqui in Judice ad
exercendum actum judiciale exigitur ju-
risdictio, uti lippis & tonsoribus notum

F 2

est:

est: ergo. Et ideo ad eum finem, ut quis absolutionem suorum peccatorum obtineat, nunquam licitum fuit, nec licebit confiteri Laico; & qui hoc scienter faceret, suspectus foret de hæresi Lutherana, sicut & Laicus Confessionem audiens, & pœnitentem absolvere præsumens. Licere tamen potest ad alium finem, nempe ad contritionem cordis magis excitandam, & ut ipsa humilitate, atque erubescentiâ Confessionis commoveatur, flectatürque magis DEI misericordia erga peccatorem, eoque certius criminum remissio, non per Laici aliquod ministerium, sed ab ipso DEO solo impetretur. Ità Navarrus in *Comment. ad cap. 1. de Pœnitent. dist. 6.* ubi explicat Augustinum dicentem: *Tanta vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo.* Unde si facta fuerit Laico talis Confessio, sive scienter, sive ex errore, etiam communi, cùm absolutio ejus valida esse non potuerit, superveniente Sacerdote, Confessio apud eum est repetenda, & absolutio nova impetranda. Vide Clericatum de hoc themate more suo eruditissimè discurrentem in *Decis. de Sacram. Pœnit. decis. 18. per totam.* Jam ad rem propriùs.

84 RESOL. II. Constitutus in mortis articulo, vel evidenti aut probabili ejus periculo, potest confiteri, & Sacramentaliter ab-

absolvi à quolibet Sacerdote (saltēm in Communione fidelium, & Ordine suo Sacerdotali tolerato) & ab omnibus peccatis ac censuris, jurisdictione illi ob præsentem necessitatem collata à pia Matre Ecclesia. Constat rursus ex Tridentino cit. Sess. 14. cap. 7. ubi inquit: *Veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Cùm igitur, ut ajunt Philosophi, cuilibet potentia activa correspondeat sua potentia passiva, etiam quilibet pœnitentes ab omnibus Sacerdotibus in articulo mortis à quibusvis peccatis & censuris possunt absolvi, eoque ipso cuilibet ex eis confiteri; Præsertim cùm hæc latissima jurisdictionis extensio non ob favorem Sacerdotum absolvientium, sed ob favorem pœnitentium absolvendorū facta sit, ne hac occasione aliquis pereat.

Dixi: Saltēm in Communione fidelium, § 85
Ordine suo Sacerdotali tolerato; quia ut refert Fagnanus in cap. Non est vobis, de Sponsal. Valentinus quidam Episcopus petiit à Sac. Congreg. Concilii Interpretum declarari, an præallegata verba, cùm sint generalia, ita generaliter sint intelligenda, ut pœnitentes in articulo mortis constitutos possit in casibus reservatiis

tis absolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denuntiatus? Et Sac. Congregatio, cuius Secretarius per multos annos fuerat idem Fagnanus, censuit non posse; quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non possint, etiam in hoc casu necessitatis. Cum Fagnano sentiunt Panormitanus, Clericatus, Matthæucci, & plures alii, quorum ultimus opinionem contrariam, supposita declaratione illa, judicat ne quidem esse probabilem, quamvis sit cæterorum DD. fermè omnium. Hoc equidem non dico; subscribo tamen, sicuti etiam in tertia, & ultima prælectione Tractatum de Sacramentis subscripti exclusivæ Sacerdotum non toleratorum (per quos hic tam Excommunicati vitandi, quām Degradati intelligi debent.) non solùm ob præmentionatam Declaracionem, quæ fors perfectè legalis nondum est; sed etiam, & præcipue ob authoritatem D. Augustini suprà, qui (ut refertur cap. i. de pœnit. dist. 6.) loquens de mortis articulo expressè subjicit: *Nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiae; ideoque non petat Sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiae præcisos.* & S. Innocentii in cap. Arianos, i. q. 1. dicentis: *Hæreticis solum baptismum ratum esse permittimus, scilicet ob sumam ejus necessitatem.* Quæ verba pensans D. Thomas 3. part. quest. 82. art. 7. ad 2. ait: *Ad secundum*

eundum dicendum, quod solus baptismus permittitur esse ratus Hæreticis & Schismaticis; quia possunt licet baptizare in articulo necessitatis; in nullo autem casu licet possunt Eucharistiam consecrare, vel alia Sacra menta conferre. Et 4. dist. 19. art. 2. quest. 2. ad 3. inquit eos hoc ipso peccare, qui alia Sacra menta, excepto baptismo, in casu necessitatis ab Excommunicato recipiunt.

Quando igitur Concilium suprà docet, in articulo mortis omnes Sacerdotes habere quoslibet pœnitentes absolvendi plenissimam potestatem, intelligendum est de omnibus Sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus, de quibus solis in toto contextu anteriore, & posteriore est sermo, non autem de præcisis, & separatis: loquitur quippe de habentibus ordinariam vel delegatam jurisdictionem, cujus Excommunicati non tolerati sunt incapaces, per cap. miramur, & seqq. 24. quest. 1. Jam ulterius sic

RESOL. III. Prætacta facultas confi-⁸⁶
tendi in articulo mortis cuicunque Sacerdoti, non sic interpretanda est, ut moriturus possit etiam in præsentia Curati, vel ubi facilè advocari potest, confiteri non Curato, & ab eo absolvi; sed solum, quod tali possit confiteri, & absolvi in defectum Curati, undecunque demum provenientem. Ita Layman cit. tr. 5. cap. 12. num. 14. & ex communi Sylvester, Navarrus, Zambra-

nus, Gutierrez, Valentia, Molina, Suarez, Sanchez contra Sà, Rodriquez, & alios multis. Colligitur ex cap. Presbyter, 26. quest. 6. ubi dicitur: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliat pænitentem, nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat.* Unde etiam accipitur ratio: nam Concilium Sacerdoti simplici potestatem absolvendi à quibuscumque peccatis in mortis articulo concedit solum jure extraordinario, ob rationem necessitatis, ne hac occasione (si absolutio denegetur) aliquis pereat: Ergò cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria potestas, per regulam, quam tradit Abbas in cap. cùm venerabilis, de consuet. in fine, ibi: *Cùm aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas;* Sed præsente Curato, qui ægrotanti vult ministerium absolutionis impendere, cessat hæc necessitas recurrendi ad Sacerdotem non curatum, propterea, ne hac occasione infirmus pereat: ergò &c. Certè mira licentia, magnæque confusionis patens foret, si morituris, omnium maxime spirituali instructione indigentibus, permisum foret, relicto proprio Pastore, & ab eo commissionem habentibus, cæterisque subsidiariis ab Episcopo approbatis, ad quemvis, etiam imperitum, & non approbatum Sacerdotem, fortè omnino vagabundum, pro beneficio absolutionis recurrere.

RE-

RESOL. IV. Attamen Morituri neque-⁸⁷
 unt prohiberi, quò minùs, si velint, ad
 deponendam Confessionem advocent Sa-
 credotem Regularem, ab Episcopo loci ap-
 probatum, etiam sinè licentia Parochi.
 Ratio clara est; quia non possunt prohibe-
 ri, quin à Regularibus petant id, quod illi
 licetè possunt facere; sed Regulares ab Epi-
 scopo approbati possunt quorumcunque in-
 firmorū Confessiones audire, absque ulla
 Parochi licentia: Ergò. Min. constat ex
 Constitut. Clementis X. quæ incipit: Su-
 perna, ed. 1670. in qua Regularium Privile-
 gia circa Sacramentum Pœnitentiæ cæte-
 roquin valdè circumscribuntur; attamen
 ad finem §. 4. adjicitur: Semel autem simpli-
 citer approbatos posse in Diœcesi Episcopi appro-
 bantis quovis anni tempore, etiam Paschali, &
 quorumcunque etiam infirmorum Confessiones au-
 dire, absque ulla Parochorum vel ipsius Episcopi
 licentia. Additur: De qua tamen Confessione
 teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Pa-
 rochum illicò certiorem reddere; & hoc posse illis
 ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate au-
 diendi Confessiones præcipi; sufficere tamen, ut cer-
 tioratio hujusmodi fiat saltem per Scripturam,
 apud ipsum infirmum relinquendam. Ideo ad
 omnia discordiarum zizania devitanda sua-
 derem, ut si contingat Confessarium regu-
 larem vocari ad infirmum in loco, ubi ra-

90 *Distinctio I. Caput III. §. I.*

riùs vocari solent, priùs pro sua humanitate & humilitate se, & desiderium Parochiani Parocho insinuet, aut saltem per internuntium insinuari curet; decet enim Viros Religiosos præcipue esse, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. Cor. 6.

Punctum V. *Quomodo debeat moriturus confiteri?*

88 RESOL. I. Debet confiteri, si possibilitas adsit, eodem modo, quo sanus; imò eò majori diligentia, quò seriosior, & irrevocabilior alea tunc vertitur. Non tamen necessarium est, ut confiteatur generaliter, si confidat se præcedentes confessiones per vitam suam rectè perfecisse; esto consultum sit, ut saltem de gravioribus sceleribus se compendiosè iterùm accuset, prout docet proborum, & timoratorum praxis. Debet itaque etiam hæc confessio esse vera, vocalis, secreta, integra, dolorosa.

89 RESOL. II. Esto nulla necessitas possit confessionem moribundi tueri, ne sit vera, & dolorosa; à reliquis tamen conditionibus aliquando potest exemptam reddere.
I. Ut fiat scriptō, nutibus, vel aliis signis quibuscumque, animum confiendi, aut dolorem internum de se, vel ex intentione moribundi designantibus; puta, ubi vox per acerbitatem morbi interclusa.

II.



II. Ut fiat publicè, præsertim quoad peccata minùs infamantia, v. g. in publico Nosocomio tempore contagionis, ubi ad singulos non datur accessus. III. Ut fiat abbreviatè, etiam per solum signum doloris de suis peccatis habiti, cùm propter naturalem indispositionem moriturientis aliter fieri non potest. Ubi ramen exigitur votum, seu propositum integrè confitendi, si impedimentum recesserit; & remanet obligatio, cessante impotentia, omnia peccata mortalia explicitè confitendi, etsi quis absolutionem ab illis jam obtinuerit. R. P. Elbel *Theol. Sacram.* p. 2. n. 221. cum Communi.

Punctum VI. Quando debeat iturus ad Patres confiteri?

RESOL. Non debet expectare, donec⁹⁰ anima sit quasi in egressu; quia hoc nimis, nimis pericolosum est, vel quia confessio tunc omnino fit impossibilis, vel quia deficit verus supernaturalis dolor, cùm non tam ipse homo peccata deserat, quàm à peccatis deseratur: unde Aug. Ser. 57. de temp. Pœnitentia, inquit, quæ ab infirmo petitur, infirma est; quæ autem à moriente petitur, timeo, ne & ipsa moriatur. Et Scotus 4. dist. 20. q. un. §. In ista quæstione. Pœnitentiam veram magnum est, secundùm Augustinum, cui DEUS inspirat in extremis, si quis est; quia vix, vel nunquam est ali-

aliquis, qui habeat dispositionem de congruo, cui insipretur. Et quis miretur tepidam esse pœnitentiam inter tot vehementes animi, & corporis angustias tunc prementes, quando etiam sanitatis tempore, ubi minima nos tenet mentis turbatio, statim ad confessionem, & etiam alia pietatis opera nos indispositos profitemur? Adde, quod ejusmodi etiam se exponat periculo impotentiæ ad satisfaciendum præcepto sumendi sacri Viatici. Et ideo gravissima tam Parochis, quam Medicis incumbit obligatio, Patientem sibi commissum tempestivè, & ubi adhuc integer sensuum, & rationis vigeat usus, minorque est debilitas, ad recipienda Sacraenta disponendi; quod utinam Catholici tam accuratè, quam hæretici observarent! Experto crede.

Punctum VII. Quid in supplementum impositæ satisfactionis pro pœnis peccatorum facere debat moribundus?

91 RESOL. Cùm non expedit moribundo, alias satis afflito, multam afflictionē addere, hinc discreti Confessarii modicissimas injungere talibus solent pœnitentias; simul tamen elevando, *quidquid boni fecerint, vel mali patienter sustinuerint*, in satisfactionem Sacramentalem. Quod quidem optimo sit consiliō; cùm valde probabile sit, per talēm elevationē accipere vim remittendi
pœ-

pœnas temporales peccatis quoad culpam remissis debitas ex opere operato. Utque adhuc magis releventur dicti infirmi, solent eos solertes Confessarii etiam excitare ad lucrandas Indulgentias plenarias pro articulo mortis, quales fermè in singulis Confraternitatibus lucrandæ conceduntur, sicuti etiam quibusdam Rosariis, & Numismatibus annexæ sunt. Ad quod optimè etiam conductet impetrare Absolutionem Generalem, cuiusmodi pro articulo mortis Authoritate Apostolica impertitur hic loci Illustriss. Princeps, & Episcopus Chiemensis, & nos Fratres Minores ubivis locorum Chordigeris S. P. N. Francisci. Demum morituriens nitatur unitione suorum dolorum cum doloribus Christi patientis partem quandam satisfactionis pro suis peccatis superaddere.

Punctum VIII. An, quis, & quo Jure tenetur accipere SS. Eucharistiam per modum Viatici?

RESOL. I. Omnes fideles adulti, dum⁹² in articulum mortis, vel grave mortis periculum incidunt, tenentur ex ipso Jure Divino accipere SS. Eucharistiam per modū Viatici. Communis. Existentia præcepti Divini de sumenda Eucharistia patet ex illis verbis Christi Domini Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus san-*

*sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et Luce 22. Hoc facite in meam commemorationem; quod dictum ad omnes fideles (quamvis differenter pro cuiusque statu) pertinere, colligitur ex Apostolo 1. Cor. 11. Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, & Trid. sess. 13. cap. 2. Imò sunt, qui præceptum hoc etiam extendunt ad infideles; quia Capharnaitæ, quibus illa verba à Christo dicta sunt, nisi manducaveritis &c. non erant fideles; hinc volunt, eos speciale peccatum committere, si non procurent baptismum, quô se aptos reddant ad communicandum. Ità Lugo de Eucharist. disp. 16. n. 17. La Croix lib. 6. part. 1. n. 595. Suarez, Vasquez, Coninck, Reginaldus, &c. Quòd autem hoc præceptum liget tempore mortis, constat ex variis Conciliis, ex Niceno I. Can. 12. *De his verò, qui recedunt ex corpore, antiquæ Legis regula observabitur etiam nunc; ità ut, si fortè quis recedit ex corpore, necessario vita suæ Viatico non defraudetur; quæ verba cum similibus ex Conciliis Bracarenſi, & Carthaginensi IV. referuntur caus. 26. q. 6. idque vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more esse observatum, testatur Tridentinum cit. sess. 13. c. 6.* Ex quibus sequitur, obligacionem istam esse sub mortali; quia materia est gravis, & valdè conducens ad animæ bonum pro articulo periculosissimo. La Croix cit. n. 605.*

RE-

RESOL. II. Isto præcepto sumendi Via-93
 tici etiam stringuntur I. pueri, cùm ad annos discretionis pervenerint; unde communiter notant DD. pueris moribundis Eucharistiam dari posse, & debere in minori ætate, quām sanis; quia dum sani sunt, agitur tantum de adimplendo præcepto Ecclesiæ, quæ tempus recipiendæ Communionis remisit iudicio & arbitrio Confessarii; ac dum sunt constituti in articulo mortis, agitur de adimplendo præcepto Divino, jubente omnem fidem, qui ad annos discretionis pervenerit, hunc Panem Angelorum manducare. Clericatus de Ven. Euchar. Sacram. decis. 40. n. 5. II. Condemnati ad supplicium mortis, quibus proin tenentur Judices permittere spatum & moram sumendi Communionem pro Viatico, ut etiam statuit Pius V. in aliquo Motu proprio. Præterea III. Sacrum Viaticum dandum est iis, qui post rationis usum inciderunt in amentiam, ut ex Concil. Carthaginensi deciditur in can. Is qui 8. 26. q. 6. nisi constet, vel præsumi debeat, aliquem in statu peccati mortalis in amentiam incidisse; vel subsit periculum irreverentiae. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 4. n. 4. IV. Semifatuis, dummodo inter cibum spiritualem, & profanum discernere possint; quò etiam spectant muti, & surdi à nativitate. Idem n. 5. V.

Ener-

Energumenis, ut docet Concilium Araucanum *Can. 14.* & D. Thomas *3. p. q. 80.*
a. 9. ad 2. VI. Etiam ebriis, si ebrietas
non sit voluntariè, & culpabiliter contra-
cta, vel saltem de hoc dubitetur. Gobat
cit. Tr. 4. n. 186.

94 RESOL. III. Sunt tamen causæ quædam
excusantes à sumendo Viatico. I. Im-
potentia, qualis etiam censetur esse, si qua-
persona nequeat retinere, vel consumere
ullum cibum, vel liquorem, sed vel conti-
nuò revomat, vel in secessum emittat, de
quo vide P. La Croix *cit. n. 551.* & nostrum
R. P. Benjamin. Elbel *part. 1. Theol. Sacram.*
Confer. 15. à n. 123. II. Si infirmus eadem,
vel unâ, duabus, tribus, vel etiam octo
diebus citius, quam in mortis periculum
inciderit, communicaverat; licet enim
tunc consulendum, ut rursus Evcharistiam
per modum Viatici recipiat, tamen ad id
non obligatur: cum præceptum de Evcha-
ristia ante mortem instantem sumenda jam
impleverit. Neque obstat, quod aliquis
tunc de morte nihil cogitaverit; quia *ar-*
ticulus mortis non sumitur à nostra scientia,
sed à morte brevi vel immediatè secutura, quæ
tunc jam dabatur. Imò potiores DD. apud
Gobat *tr. 4. n. 174. 176.* & La Croix *cit.*
n. 617. omnino negant esse licitum, eum,

qui

qui manè celebravit, aut ex devotione communicavit, si eadem die incidat in periculum mortis, illâ rursus per modum Viatici S. Synaxin sumere; tum quia duplex eadem die Communio est prohibita: tum quia communicandô, quando erat vicinia mortis, jam censetur satisfecisse præcepto Viatici.

Punctum IX. *Quoties, & quomodo Eucharistia per modum Viatici est sumenda?*

RESOL. I. Habendum est pro certo, ⁹⁵ quod is, qui communicavit sacrilegè, non satisfecerit præcepto Divino de sumptione Viatici, sed adhuc teneatur ad aliam, & dignam sumptionem: id quod colligitur ex illa propositione damnata ^{55.} per Innocentium XI. *Præcepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini mandationem;* nam si huic non satisfit, cum sit pure Ecclesiasticum, quomodo illi satisfactum sit, quod est Divinum? Quod si autem, quantum conscientia sibi dictat, semel durante illo mortis periculo, dignè sacrosanctum Viaticum receperit, licet illud adhuc possit sàpiùs recipere, tamen non obligatur. Excipiunt quidem aliqui: nisi infirmus post Communionem in mortale lapsus esset; id verò alii cum Suarezio rejiciunt; alioquin sequeretur, intra eundem diem S. Eucharistiam iterum sumendam fore, si infirmus

G

pot

post primam susceptionem mortaliter pe-
cäset, quod est contra usum Ecclesiæ.

96 RESOL. II. Non est licitum, minus ob-
ligatorium, sumere Viaticum sub specie
vini, si nequeat sumi sub specie panis; q[uia]
est contra substantialem quasi ritum præ-
scriptum ab Ecclesia; unde si infirmus non
possit deglutire species panis, sed tantum
vini, melius erit minimam S. Hostiæ par-
ticulam præbere cum vino, vel juscule, quæ in
species vini. La Croix *num. 611.*

97 RESOL. III. Potest Sacrum Viaticum
non tantum semel, sed etiam sæpius duran-
te eadem infirmitate, ministrari non je-
junio. Etenim Concilium Constantiense sess.
13. sine limitatione permittit, illud in casu
infirmitatis, aut alterius necessitatis, à Jure, vel
Ecclesia concessò, vel admissò percipi à non je-
junis, si nempe commode non possint je-
juni permanere. Et licet aliqui exigant
quandam dierum intercapelinem, proba-
bile tamen est, quod si aliquis assuetus sit
frequenter comunicare, possit toties, quo-
ties sibi alias liceret communicare jejuno,
si esset sanus, tempore ægritudinis com-
municare non jejunus. Laym. cit. tr. 4. cap. 6.
num. 20. Gobat *num. 316.*

Punctum X. *A quonam infirmus Sacrosan-
ctum Viaticum debeat recipere?*

RE-

RESOL. I. Debet illud recipere à Parocho proprio; quia in *Clem. i. de Privileg.* statuitur pœna excommunicationis in Religiosos, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unionis Extremæ, vel Eucharistie ministrare, matrimoniale solennizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali - - - præsumperint. Quod tamen de prima solum vice intelligendum est; si enim ægrotus jam satisfecerit præcepto de Viatico, nullo jure prohibitum est accipere S. Eucharistiam de manu Religiosi, dummodo is illam sine licentia Episcopi, vel Parochi non publicè portet per plateam. Busenbaum de *Euchar.* cap. 2. dub. 1. art. 1. num. 7. Suarez, & alii. Pariter nec prohibentur Religiosi dare S. Viaticum suis domesticis, vel familiaribus, ut patet ex *Compend. Privileg.* §. *Familiaris.*

RESOL. II. Ubi urgens est necessitas, & Parochus nolit, vel non possit S. Viaticum ministrare, quivis alias Sacerdos, vel Regularis, vel Sæcularis, & hoc deficiente, etiam Diaconus, S. Viaticum ad infirmum deferre potest, per licentiam, quam ipsi SS. Canones, & præsumpta voluntas Episcopi, aut Papæ in tali casu impertinentur, ut tradunt Sotus, Henriquez, Toletus, Miranda, Layman lib. 5. trad. 4. cap. 7. num. 2.

RESOL. III. Poteſt Sacerdos, in diſcri- men vitæ coniectus, ſi abſit aliis Sacerdos,

ministrare S. Viaticum sibi ipsi; quia non est Jure Divino necessarium, ut Minister hu-jus Sacramenti à suscipiente personaliter distinguatur: imò in primitiva Ecclesia so-lebant S. Evcharistiam in proprias manus accipere, & domum deferre. Et ideo hoc ipsum licere Laico, docent magni numeri & nominis Authores apud La Croix *cit. num. 482.* Opposita tamen est communior; quia praxis illa quoad Laicos est contra consuetudinem, & sensum communem fide-lium; nec videtur tanta esse necessitas hu-jus Sacramenti ad salutem, ut ei cedere de-beat reverentia prohibens, ne à Laicis mi-nistretur.

Punctum XI. An aliqua sit obligatio, vel utilitas recipiendi Extremae Unctionis Sacra-mentum?

101 RESOL. I. Nullam esse necessitatem, nec medii, nec præcepti, adeoque nullam obligationem recipiendi hoc Sacra-men-tum, per se loquendō, communis est DD. Sententia cum S. Thoma *4. dist. 23. quest. 1.* Layman *lib. 5. tr. 8. cap. 7.* & aliis. Per ac-cidens tamen, si infirmus aliud Sacra-men-tum percipere non possit, puta quia ob ra-biem SS. Viaticum non admittit, absolu-tionis verò ob negativam indispositionem est incapax, obligatus videtur ad hoc Sacra-mentum suscipiendum, ne animam damna-tio-

tionis periculo exponat, nisi rursus per phrenesin excusetur. Alioquin, si quis ex merita negligentia istud Sacramentum omittat, veniale peccatum non videtur effugere.

RESOL. II. Utilitas hujus Sacramentii 102 magna est; ut advertit S. Augustinus Serm. 215. circa med. dum ait: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros &c. Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam concurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Et ideo, qui curam animarum gerit, ratione officii obligatur ex justitia hoc Sacramentum subditis capacibus ministrare; aliis vero Sacerdos nonnisi ex charitate, si in casu necessitatis facilè ministrare possit.*
Proinde

Punctum XII. *A quo Ministro hoc Sacramentum sit recipiendum?*

RESOL. I. Per se, à solo Parocho, vel 103 commissionem ab eo habente, ita ut Religiosi oppositum facientes, ipsam excommunicationis Sententiam ipso facto incurvant, ut constat ex Clementina allegata. Imò nec ipse Parochus potest esse Minister hujus Sacramenti, nisi sit Sacerdos, propter expressum textum Apostoli Jocobi cap. 5. *Inducat Pres-*

Presbyteros. Si tamen alias Sacerdos, quamvis illicite, hoc Sacramentum infirmo administraret, valide ageret; quia ejus administratio intrinsecè non est actus jurisdictionis, sicut administratio Sacramenti Pœnitentiae.

104 RESOL. II. In casu tamen extremæ necessitatis, si nempe vel proprius Parochus absit, vel nolit Sacramentum hoc ministrare, potest hoc quilibet Sacerdos sive Sacularis, sive Regularis, ex tacita commissione Summi Pontificis, propter maximam hujus Sacramenti in extrema lucta utilitatem. Laym. cit. cap. 6. num. 2.

105 Punctum XIII. *Quibusnam, & quoties dan-
da sit Extrema Unctio?*

105 RESOL. I. Extrema Unctio dari potest solis baptizatis, usum rationis adeptis, & gravi infirmitate laborantibus. De primo patet; quia Baptismus est *janua vita spiritua-
lis*; quia per ipsum de corpore efficimur Ecclesiae, ait Florentinum, & ideo etiam est *janua* aliorum Sacramentorum. De secundo li-
quet inde; quia Extrema Unctio instituta est ad causandam gratiam de se deletivam venialium, & ad confortandum hominem contra tentationes, atque ad alleviandam animam, ut significat S. Jacobus cit. *Infir-
matur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiae,
& orent super eum, ungentes eum oleo in nomi-
ne*

re Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Sed hæc non convenient, nisi habenti usum rationis: ergo &c. Tertia pars ipertè habetur in Concil. Florent. Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet. Et Tridentino Sess. 14. de Sacram. Extrm. Und. c. 3. ibi: declaratur etiam, esse banc Unctionem infirmis adhibendam, illis verò præser-tim, qui periculose decumbunt, ut in exitu vitæ consiliuti videantur: quod etiam indicant illa verba Apostoli: *Infirmitur quis in vobis.*

RISOL. II. Illicitum est, eadem infir- 106
mitate & morbi periculo durante, reite-rare Extrémam Unctionem eidem infirmo. Probatur ex Catechismo Romano tit. de Sa-cram. Extrm. Und. sect. 11. & Rubrica Ri-tualis Ronani, in quibus hæc veritas aper-tè deciditur. Prior ità habet: *Illud obser-vare oportet, in una, eadēque ægrotatione, cùm æger in eadem vitæ periculo positus est, se-mel tantūm ungendum esse.* Posterior ità: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet.* Quod ido forsan ità institutum est, ut infirmi majori cum fervore suscipiant hoc Sacramentum, scientes, semel tantūm in eadem infirmitate ipsum posse recipi.

RESOL. III. Quodsi infirmus, Oleo 107
sancta inunctus, at illa infirmitate conva-luerit, & deinde in aliam lethalem infir-

mitatem inciderit ; vel saltem prima infirmitas , postquam periculosa esse desit , recruduerit , & de novo periculosa facta fuerit , potest Sacramentum Extremæ Unctionis iterum suscipere , & toties , quoties talis facta est alteratio . Primus casus clarè continentur in Concilio Tridentino cit . ibi : *Quod si infirmi post susceptam banc Unctionem convalescuerint , iterum bujus Sacramenti subsidio uari poterunt , cùm in aliud simile vitæ discrimei inciderint . Alterum calum admittunt D . Bonaventura 4. dist . 23. p . 2. q . 4. in fine . D Thomas ead . dist . q . 1. art . 4. & communier alii Doctores ; cùm sic moraliter censemur alia esse infirmitas . Confer Gobatum tr . 8. de Extr . Uind . n . 887. § seqq . Tamburium ibid . lib . 6 . cap . 2 . § . 6 . à n . 3 . Clericatum eod . tit . decif . 81 . n . 41 . & alios communier .*

§. II.

Praxis Confessoriorum circa expositam Doctrinam.

CASUS I.

Ferdinandus Religiosus , in sua obedientia extra Claustrum commoratus , incidit in morbum lethalem ; quo circa Parochus , apud quem decubuit , suaviter ac tempestivè eum admonuit sui periculi , offerens ipsi sua ministeria si ordinariis infirmorum

Sa-

Sacramentis ad mortem præmuniri vellet. Ille
verò Religiosus infirmus, cùm esset longè absens à
suo Monasterio, causabatur se extra Ordinem
suum confiteri non posse, eò quòd per speciales illius
Constitutiones prohiberetur; alia tamen Sacramen-
ta se omnimodis affectare ac desiderare significabat.
Verùm quia insolitum hoc videbatur Parocho, ut
S. Viaticum ministraretur non Confesso, etiam ab
aliorum Sacramentorum administratione abstinuit,
sicque Religiosus sínè Sacramentis deceſſit, non abs-
que admiratione populi. Quæritur ergò I. An
Religiosus ille rectè recusaverit Confessionem exte-
ro faciendam? II. An Parochus ei rectè dene-
gārit reliqua Sacra menta?

RESOLUTIO.

UT iste casus notabilis (sive factus, sive 108
fictus) debitè resolvatur, sciendum est,
in omnibus, Mendicantium saltem, Ordi-
nibus, etiam in inclita Societate JESU, cau-
tum esse, ne quis Religiosus professus ex-
tra Ordinem confiteatur. Quæ ordinatio,
licet multis exotica, & invisa appareat, ta-
lis tamen nullo modo est; quia ex ipsa in-
stitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quod
se habet instar judicii, nemo potest validè
confiteri, nisi proprio Sacerdoti, jurisdi-
ctionem fori interni in ipsum habenti, ex
cap. omnis utriusque 12. de pœnit. & remiss. sed

G 5

hæc

hæc jurisdictione in personam Regularem, præsertim Ordinis Mendicantium, nulli convenit, nisi Prælato ejusdem Religionis: Consequenter hic solus, & cui ille jurisdictionem hanc commiserit vel delegaverit, quempiam illorum Religiosorum validè potest absolvere. Ne igitur vel ex ignorantia, vel ex præsumpta Prælatorum licentia, quæ ad valorem actuum non sufficit, contingere aliquorum confessio, & absolutio invalida extra Ordinem, meritò id fuit prohibitum, accedente præsertim autoritate, & confirmatione SS. Pontificum Clementis IV. Innocentii VIII. Julii II. Clementis VII. & VIII. Veruntamen extremæ necessitatis articulus semper ab hac prohibitione censebatur exceptus, prout eundem etiam expressè exceptit Clemens IV. in Mari Magno, ut habetur in Monumentis Ordinum; & clarè sequitur ex Concilio Tridentino, quod sess. 14. cap. 7. indefinitam, universalem, & irrestrictam dat facultatem omnibus Sacerdotibus quoslibet pœnitentes in mortis articulo vel periculo à quibusvis peccatis absolvendi. Unde dictus Religiosus fuit in malo supposito, quod sibi non liceat in eo articulo extra Ordinem confiteri; cum statutorum conditoribus de hoc nihil inciderit, & oppositum expressè pro Prædicatoribus & Minoribus concesserit.

Six-

Sixtus IV. ut videre est apud Rodriguez
tom. I. QQ. RR. quest. 62. art. 6. Per quæ pa-
ret responsio ad primum quæsitum.

Ad alterum, docet P. Gobat tr. 6. Theo-
log. Experim. num. 352. à gravi noxa excusari
eum, qui graviter decumbens, nollet con-
fiteri, eò quia ab ultima Confessione, ante
trimestre peracta, nullius gravis peccati se
reum sciret, additque, tali infirmo Viati-
cum & Extremam Unctionem non esse de-
negandam; quô clypeo etiam se præfatus
Religiosus Ferdinandus tueri potuisset, &
Sacramenta reliqua etiam non confessus,
ne contra propriam agat conscientiam, po-
stulare. At ex opposito stat communis fi-
delium praxis & consuetudo, quâ nulli, nisi
priùs Sacramentaliter confessio, S. Viaticum
solet porrigi; unde hac consuetudine ni-
xus D. Parochus, erroris redargui non po-
test, quod confiteri nolenti etiam Sacrum
Viaticum denegaverit; Ideoque saltem, ne
populo daretur scandali occasio, debuisset
se ille Religiosus ad sacram exomologesin
resolvere, sciens utique, præceptum natu-
rale evitandi scandali magis urgere, quam
qnascunque Ordinum Constitutiones, ut
pote juris merè positivi. Quod autem
etiam Extremam Unctionem, ad quam Con-
fessio determinatè non exigitur, sed solus
status gratiæ, etiam contritione compara-
bilis,

bilis, denegaverit, non videtur recte factum; cùm videamus istud Sacramentum etiam sensu destitutis, sicque actualiter non dispositis, conferri. Latius hunc casum deduxi; quia scio multos discursus, etiam à doctis, de ejus contingentia saltem possibili hic illic institutos.

C A S U S II.

Geminianus Parochus, cùm catellum à rabido cane defenderet, ipse ab eodem lethali mortu exceptus, & venenatâ materiâ infectus fuit. Unde in vicinam civitatem delatus, rem aperit Medico, qui malum jam incurabile factum estimans, suadet illi, ut ocyüs rem suam disponeret, & ad mortem omni momento expectandam se prepararet. Obsecutus Geminianus, confert se ad PP. Carmelitas ibi degentes, conscientiam suam cum intensissimo dolore exonerat, statimque à Patribus petit tum sacrô Viaticô ad ultimum agonem muniri, tum S. Oleo tanquam fortis athleta inungi. Ut petuit, factum, nec gressum è Monasterio posuit, cùm jam horrida rabie correptus, inter dolores sevissimos animam efflavit. Ita recordor mihi narratum, cùm adbuc in Ordinis tyrocinio versarer. An omnia recte facta?

RE-

RESOLUTIO.

REtissimè; quia Geminianus, cùm n° 109
momento quidem securus fuerit à ra-
bie eum correptura, non poterat pruden-
ter expectare adventum alterius Proviso-
ris, è statu Ecclesiastico, sed meritò prope-
ravit, ut quàm citissimè ei provideretur.
Nec dicti Regulares sibi timere debebant
de Censura incurrenda; cùm nullo jure
prohibeantur SS. Sacra menta apud ipsos in-
firmatis ministrare, ubi periculum est in-
mora; ut patet per dicta superiùs. Quòd
si etiam à me quæras, an dictus Parochus
potuerit, vel debuerit in præfata Ecclesia
Regularium sepeliri? Respondeo sub distin-
ctione, quòd potuerit, & debuerit, si ibi
elegerit sepulturam; secùs, si non elegerit:
quam responsonem juribus firmare possem,
si scribendi ratio id permitteret.

C A S U S III.

HEsihius subitaneâ apoplexiâ tañus, in mo-
mento omnibus quasi sensibus destituitur; fir-
miter tamen sibi persuadet, periculum non esse
tantum, ut ad Sacra menta recipienda teneretur.
Unde nec de Confessione quid vult audire, nec de
S. Viatrico, nec de Extrema Unctione, & cùm ni-
bilominimus Sacerdos cum sacro Oleo, ipsum intu-

ditu-

eturus adveniret, ille vires omnes, quas potest, opponit, & caput in omnem partem ventilat, satis ostendens animum suum contrarium. Quid de hac unctione sentiendum?

RESOLUTIO.

Intio, quod ista unctione fuerit invalida, & sine effectu; quia juxta omnes ad validam Sacramentorum susceptionem ex parte adulti requiritur voluntas habitualis, ad minus implicita, & interpretativa; sed Hesichius hic & nunc non habuit talem voluntatem, sed contrariam non recipiendi hoc Sacramentum, quantum ab externis dijudicari potuit. Nec juvat, quod haec resistentia orta fuerit ex falsa persuasione, nullum subesse mortis periculum; nam ex hoc nihil aliud sequitur, quam quod praeter illam efficacem nolitionem hic & nunc recipiendi Sacramentum, habuerit etiam ineffacem, & conditionatam voluntatem recipiendi, si adesset periculum, quae tamen in concursu prioris nolitionis efficacis videtur insufficiens.

§. III.

Actus Preparationis ad Sacramentum Pœnitentiæ.

III O DEUS meus! quantum recessi à te summo bono, ultimo omnium creaturarum fine!
quan-

quantum contra te abusus fui potius, mihi à Bonitate tua ad te DÉUM meum cognoscendum, amandum, & fruendum, concessis! Peccavi, & peccavi nimis coram te, indignus, qui recipiar in tuam gratiam. Sed quia non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, hinc inter angustias, & timores mortis constitutus, redeo ad te fontem omnium gratiarum, & secundam post naufragium tabulam, salutiferum scilicet pœnitentiae Sacramentum apprehendo, sperans per illud virtute sanctissimæ Passionis, & infinitæ satisfactionis D.N. J. C. omnium peccatorum meorum veniam, & remissionem recipere, & in gratiam adoptionis filiorum DEI redintegrari. Doleo, te summum Bonum offendisse, & propono firmiter ex hac hora te amplius non offendere. Adjuva me, Domine, tuâ Divinâ gratiâ, quia nihil ex me, sed omnia possum in eo, qui me confortat.

Ad SS. Evcharistiae Sacramentum.

Domine, quomodo tu venis ad me, qui vacuus sum omni virtutum apparatu? Certè ad tantum Hospitem excipiendum Angelica exigeretur puritas; ego autem me plenum maculis, & vitiorum sentibus obsitum invenio. Sed en! inops ego sum, & pauper, impos, & ineptus, ut dignam tibi domum præparem. Præveni me tuâ Divinâ misericordiâ, & imple me virtutibus, quibus dignè te recipiam. Da mîhi fidem, spem, & cœ-

charitatem . quibus tibi , fini meo ultimo , soli , & unicè adhæream ; da mihi religionem , quā te unum DEUM colam , & adorem ; da mihi humilitatem , quā me in abyssum mei nihil totum abjicam ; da mibi promptam ad omnia pro te , & amore tui agenda , & patienda voluntatem , ut in omnibus te quæram , & inveniam . Domine , tu es solus virtutum omnium complementum ; da mihi te ipsum , & nihil mihi deerit : in loco passuæ ibi me collocabis .

Ad Extremæ Unctionis Sacramen- tum.

113 **H**abeo nunc te , ô Amor meus ! possideo te , ô summum Bonum meum ! sed velata adhuc facie , scilicet sub candidis speciebus panis . Jam etiam revelata facie videre te cupio ; sed qui fiet hoc , qui necdum ab omnibus peccatorum remoris sum expeditus ? Domine , in hunc finem instituisti saluberrimum Extremæ Unctionis Sacramentum ; unge igitur me tuâ Divinâ gratiâ , nam & tu unctus es per naturam : unge me , & hac salvifica unctione dele omnes adhuc residuas iniquitates meas , ut nihil amplius impedire possit , vel retardare unionem tecum habendam in beata æternitate . Sic psallam tibi in vita mea ; sic psallam tibi , quamdiu fuero ; spiritus enim Domini super me , eò quod unxerit Dominus me . Isa . 61 .

DI-